

X 1905 209



Ph. v

I

C

I



h. v. 27 20pm

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

ILLUSTRISSIMÆ, ET SERENISS
PRINCIPI AC DOMINÆ,

Vc
2680

DOMINÆ SOPHIÆ

BRANDEBURGICÆ, VIDUÆ
SAXONICÆ,

CHRISTIANO I. ELECTORE SAX. MAGNA-

NIMO RELICTÆ, MATRI ILLUSTRISSIMI ET

Serenissimi Principis ac Domini, Domini JOANNIS GEORGII,

S. R. IMP. Archimarschalli & Electoris, &c.

IN ILLUSTRIS SCHOLA MISNENSI, FREQUENTI

Senatus urbani, & cœtus scholastici conventu, adeoq; quotquot fue-


runt eruditorum, ad d. V. Calend. Februarii, Anno

Christi clō. Ioc. XXIII.

DICTUS AB

JOANNE BECHMANO, RECTORE


ET PROFESSORE.



FRIBERGÆ, Exscriptus typis Georgii Hoffmani, Anno 1623.

5





ILLUSTRISSI-

MO, SERENISSIMO, CELSIS-

SIMO PRINCIPI, AC

DOMINO, DOMINO

JOANNI GEORGIO

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET

MONTIUM DUCI,

S. R. IMP. ARCHIMARSCALLO ET ELECTORI,

LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MI-

SNIÆ, BURGGRAVIO MADEBURGI, COMITI

MARCI ET RAVENSPURGI, DYNASTÆ

IN RAVENSTEIN, DOMINO SUO

CLEMENTISSIMO



Subjectissimo studio

DEDICAT, OFFERT



JOANNES BECHMANUS.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

ILLUSTRISSIMÆ AC SERENISSI-
MÆ PRINCIPI, AC DOMINÆ,

DOMINÆ SOPHIÆ
BRANDEBURGICÆ, VIDUÆ
SAXONICÆ,

Dictus Misenæ in illustri Elect. Sax. Schola,

Ab

JOANNE BECHMANO.

Illustria illustrium personarum funera
tàm apud Græcos, quàm Latinos summis, ac pe-
nè divinis honoribus affecta esse, vestrum fugit
neminem, viri reverendi, magnifici, splendidi,
excellentissimi, consultissimi, prudentissimi, doctissimi, hu-
manissimi, integerrimi, omniumq; virtutum genere prestan-
tissimi, vos etiam juvenes & adolescentes erga bonas litte-
ras benè animati, charissimi discipuli: Hanc enim consuetu-
dinem servabant sedulo gentes non prorsus barbara, ut de
patria, suisq; civibus præclare meritos, & principes, & ipsos
deniq; reges humanis rebus exemptos acerbè deplorarent, &
publicè exquisitissimis honoribus afficerent. Non solum enim
leniri dolorem celebratione factorum ipsius, cui funus fieret,
sed aliquid etiam præmii virtuti persolvi, minores ad virtu-
tem excitari censebant, & de rebus communibus optimè &
præclare meritos ab interitu vindicari putabant. Apud GRÆ-
COS viri comas alebant, barbam, capillumq; submittebant,
mulieres verò tonsis crinibus erant, quibus defuncti cadaver
cum flebili vociferatione operiebant, ut apud Homerum de
Patroclo & Achille memoria proditum legimus. Apud ROMA-

A 2

NOS,

C NOS, quum jam omnis vitæ spes in agro decollasse, & anima in summo quasi ore versari videretur jamjam è corporis hospitio emigratura, amici & sanguine proximi, qui aderant, morientem osculabantur excepturi animam, quam per os, tanquam januam aliquam exire putabant, annulos defunctis detrabebant, sive ne in pollinctorum manus pervenirent, sive ut heredes defuncti se fore probarent, oculos claudebant, ut mortem somno quàm similimam esse indicarent, lavabant & ungebant eos: illud erat mulierum, hoc pollinctorum, vestiebant toga varia pro conditione mortuorum, coronabant, funus locabant, conclamabant, indicia domus funestæ, piceam & cupressum, ponebant, funus efferebant in lectica, sive sandapila, solenni pompa, magno comitatu siticinum, præficarum, mimorum, honoratorum virorum & fœminarum colla crymantium ad forum, ubi collocatum pro rostris oratione laudabatur publica, quæ nec illustribus denegabatur fœminis: parentabant inferiis, quæ constabant liquoribus, & victimis, tumulos coronis & floribus ornabant, epulas publicas & privatas instituebant, ludos funebres agitabant, certum tempus luctui designabant, summos deniq; honores decernebant. Sic PERSÆ suos reges & vivos & mortuos singulari obsequio & honore colebant: defunctis illis JUSTITIUM, id est, legum & juris intermissionem, per quinq; dies indicabant, quibus jura ac leges, tanquam patrociniis suo orbe, silebant, æternum & sacrum ignem, quem quisq; in arcanis domus sue pro Lare familiari colebat, extinguebant, detonsis conjugum & liberorum capillis, lacera veste, lugubri ululatu corpora efferebant. Apud SPARTANOS erat constitutum, ut rege defuncto equites obitum regis enunciantes cursitarent, fœminaq; crinibus passis & libero conquestu ollas aneas tinnitu pulsarent, quibus nec nocte, nec die quies. Omnium verò maximè apud ÆGYPTIOS præter justitiæ & æquitatis opinio-

nem

nem reges ea erant in existimatione, atq; veneratione, ut non
minori omnibus cura essent, quàm sui cuiq; parentes & liberi.
Itaq; eorum ex vita demigrationem communi mœstitia & lu-
ctu deplorabant omnes. Plebs vestitu squalido, laceroq; obsita
incedere, capita luto deturpare, per vicos, plateasq; frequens
curitare, nudatis mamillis mulieres, viri pectora plangere,
atq; in deformi illuvie septuaginta duos dies cibis animanti-
um, vino & omni apparatu epularum abstinere: homines in
re lauta positi non balneis, non unguentis, non lectis uti: sa-
cerdotes deniq; templa claudere, cantu & laudibus memori-
am mortuorum honoratissimam habere, dies festos non agere,
cetus hominum non obire, corpus defuncti publicè exponere,
accusatores quoq; ejus audire: Si quid laude dignum patrâs-
set, laudare, laudatum sepulchro inferre: Sin alicujus scele-
ris convinci posset, honore sepultura maxima ex parte priva-
re. Hic exequiarum ritus non valdè est dissimilis ei, qui à po-
pulo Dei servatus fuit: Ezechiel enim deposita in luctu coro-
na nominatim facit mentionem, ornatus auri, margarita-
rum, velati oris, discalceatorum pedum, ejulatus & lacry-
marum, præterea barba & coma capitis in luctu detonsa. JO-
SEPH princeps Ægypti patre Jacob defuncto publicum lu-
ctum toti provincia dies septuaginta indicit, & lotum patris
corpus in testimonium & honorem resurrectionis aromati-
bus condiri, & balsamo ungi curat, & magna nobilium &
sacerdotum frequentia stipatum ad locum sepultura per mil-
liaria circiter quinquaginta deducit in Hebron. Regius pro-
pheta DAVID socero Saule, & fratre Jonathan in prælio in-
terfectis, non solùm acerbè eorum obitum deflet, verùm ora-
tionem etiam funebrem & epicedion ipsis componit. Regem
JOSIAM omnes ordines lugent, & in omnibus regni opidis
cantores, & cantrices lugubribus elegiis optimi principis sui,
& patris patriæ interitum deplorâsse scribuntur. Quin &

JEREMIAS ipse doctor precipuus, & propheta in regno con-
cione funebri regem laudasse in Paralipomenis memoratur.
Incensi etiam & odorum in historia regis **A S E** sit
mentio. **JOANNES** quoque **EVANGELISTA** corpus Salva-
toris nostri aromatis delibutum narrat. Ipse **CHRISTUS**
Maria peccatricis, à qua ungebatur, pietatem laudat: Quod
enim hac unguentum hoc misit super corpus meum, inquit,
ad sepeliendum me fecit. Ipse **CHRISTUS** veniens domum
præfæcti synagoga vidit tibicines, & turbam tumultuantem.

Quum igitur non ignoremus, tales funerum ritus usi-
tatos fuisse, & apud populum Dei, & apud gentes doctrinae
& sapientiae laude olim celebres, & insignes, an non magis
par est, ipsa natura sic dictitante, nos, qui pietatis Christianae
cultum profitemur, illustrissimæ, ac serenissimæ heroinæ, Do-
mina **SOPHIAE BRANDEBURGICÆ**, viduæ Saxonice,
CHRISTIANI I. Elect. Sax. heu quondam dulcissima con-
jugis, matris inclyti nostri Electoris ac Domini, Domini **JO-**
ANNIS GEORGII, clementissimi nutricii, non tam obi-
tum, quàm ad vitam beatiorem abitum lacrymis & luctu
prosequi, ejusque memoriam, quibus licet, monumentis, in pri-
mis verò orationis funebris elogiis posteritati in hoc illustri
MISNENSI gymnasio consecrare? Si quod enim unquam
tempus fuit luctuosum, & acerbum, triste & grave, in quo
repetitis dolorum causis lacrymas ubertim profinderemus,
& luctus acerbicatem significatione publica, & voce in vul-
gus emissa abundè proderemus, profectò hoc nunc tempus ita
nobis funestum illuxit, ut quocumque sive oculos convertamus,
sive animum circumferamus, non nisi luctum, fletum, ardens
annonæ incendium, omnem denique calamitatem sub ipso tot
principum Augusto & venerando confessu contueamur: Vi-
deor enim mihi in hoc funere imaginario videre sedentem il-
lustrissimum heröa Saxonem, cujus & in prosperis rebus vos
bis omni-

bis omnibus spectata est moderatio, & in adversis invicti
animi magnitudo, Dominum JOANNEM GEORGIUM
Electorem & Archimarschallum Sacri Romani Imperii, obi-
sus materni asperitate fractum, matris incomparabilis non
expectata morte perculsum, penèq; exanimatum. Aspicite,
& condolete: in tanto est luctu, & squalore, ut quas gravitas
& constantia retinere ac frenare consueverat, eas materna
caritas eliciat lacrymas: tristi est facie, pullo vestitu, acerbo
cordis mœrore, totus fletu penè madescit. Sic, sic, sic ingemi-
scit. Videor mihi videre assidentem illustrissimo Electori
dulcissimam conjugem MAGDALENAM SIBYLLAM, ad-
stantes suavissimos & illustrissimi generis illustrissimos li-
beros, defunctæ heroinæ nepotes & neptes: illam sibi capillum
scindere, genas lacerare, hos & has pectus verberare, modò
matrem, modò socrum, modò aviam interire, delicias suas
exarescere, matrem patriâ deficere, columnam religionis,
fulcrum scholarum, prasidium academiarum everti, alios
alia, quæ diversis diversa non diversus suppeditat dolor, mi-
serabiliter quiritari, ejulare, lamentari. Qui has animulas
tristi silentio, & mœstitia tacita defixas in tam gravi duroq;
casu adspiciens non intimis commoveatur sensibus, eum simi-
lem portenti verè dixero. Videor mihi videre universum illu-
strissima aule gynacœum dolore consternatum, metu debilita-
tum, trepidatione fractum, formidine dejectum, lamenta-
tione defœdatum. Videtur universa aula Dresdensis, anti-
quæ fidei & virtutis nutricula, cum illustrissima heroina mi-
serabili funere ad sepulturam efferrî: Nam optima matris
viduæ fato, qua viva felix stetit tellus & gubernatio, com-
moditatibus multis se orbatam intelligit, & talis heroina in-
teritu regni quasi partem ademtam, & imperii dignitatem
bujus deminutam graviter dolet. Qui tam crebros singul-
tus audiens, tam miserabiles ejulationes mente cogitationeq;
intuens

intuens non condoleat, non ingemiscat, eum non hominem,
sed caudicem appellavero. Et nos, nos, inquam, qui in hoc per-
illustri Musarum domicilio pietatem & humanitatem profi-
temur, in tanto, tamq̃, communi totius Misniae luctu non mo-
veamur? nullum doloris indicium ostendamus? toto anima
non doleamus? non vim lacrymarum profundamus? non
miserabiliter conqueramur? Quid sedemus? quid hic bare-
mus? quid circumspicimus? quid expectamus? quid cuncta-
mur, auditores? Quin unà eamus exsequias? Effertur SO-
PHIA BRANDEBURGICA, si genus spectes, matrona il-
lustrissima, si mores, lectissima, si veram pietatem, verè ad-
miranda. Cum quendam consiliarium prudentia singularem
amissimus, cujus obitus vel exitium, vel magnum aliquod de-
trimentum afferat rebus nostris privatis, eum non modò ta-
cita animi cogitatione deploramus, sed in publicum emissa
voce lugubri doloris nostri magnitudinem ostendimus. Quo
verò animo tanta Ducis casum feremus? cujus obitus ma-
gnam calamitatem rebus ipsis publicis allaturus videtur, qua
ex Electorali Marchionum Brandenburgensium sede progna-
ta, denatæ est in aula nostra, pro qua presente nostro Electro-
re, presentibus illustribus legatis, presente equestri nobilita-
te, presente amplissimo procerum ordine multi homines ve-
stes metârunt, sordes & squalorem induerunt, mœrore assi-
duo, lacrymis profusis pietatem moverunt, & ad fletum sin-
gulos, misericordiam excitârunt, hoc calamitoso tempore,
quo principum fœdera rupta, ducum animi exacerbat, bello-
rum motus concitati, qui tumultus crebriores, & fortè ri-
vos civili sanguine prænunciant inundantes, sive hominum
temeraria culpa, sive fatali quadam dementia. Ergò & nos
signum doloris in hac perillustri MISNENSI edere decebit,
nisi omni doloris sensu vacui Stoici perhiberi, nisi saxea, fer-
rea, & quovis adamante duriora pectora gestare videri veli-
mus,

mus, quæ ad tantæ sensum plage occalleant, quæ tam celeri,
tam precipiti occasu viduæ Saxonica principis immortalitate
dignissima non permoveantur, non cohorrescant, non dole-
ant, non ingemiscant: Hoc enim officio nonnihil mitigatum
animi nostri dolorem levamus, & non modò significationem
damus reverentiæ, gratæq; erga benè meritam SOPHIAM
BRANDEBURGICAM recordationis, sed etiam cum pluri-
marum virtutum exemplo proposito, & consolatione lugen-
tium propinquorum laudes predicamus æterni Dei, cujus de-
functæ heroina in vitæ suæ statione fuit administra vigilan-
tissima, constantissima.

Sed, auditores, qui hoc munus in se suscipere velit, eum
in dicendo valere oportet: regiarum enim virtutum digni-
tatem explicare arduum, & summas laudes inopia dicendi
deterere, vituperio dignum est. Ego verò dolore animi acer-
bissimo affectus, ingenio, eruditione, firma dicendi faculta-
te destitutus nihil, quod aut tantæ principis laude dignum,
aut vestræ expectatiōni gratum sit, valeo dicendo hoc luctuo-
sissimo tempore in medium asferre. Cogitans autem, quan-
tum principi Saxonie, quantum huic perillustri ejusdem scho-
la, cui nunc annum decimum quartum mea deservit opera,
debeam, semel mihi partes sumsi gravissimas predicandi lau-
des defunctæ heroinæ, & magis officium secutus, quàm facul-
tate aliqua dicendi fretus hanc conscendi cathedram. Quò
mihi magis veniam deberi, & faciliùs datum iri à vobis exi-
stimo, si neq; vestræ expectatiōni, neq; rei magnitudini satis-
fecero. Velimetiam hoc cogitetis, licet, quæ hic tractare me
oporteat, quùm illustria sint, splendorem postulent, in luctu
tamen squalorem orationis, qui aspectum hominum, ac omni-
nò lucem formidare videatur, non prorsùs esse indecorum.
Proinde quæso à vobis, auditores, ut advertatis, non quàm
pauca ex multis, popularia & vulgaria ex lectissimis à me

B

tenuiter

tenuiter explicentur, sublimia quàm humiliter tractentur, illustria quàm inornatè efferantur, sed quàm ab iis, qui laudationem omnibus numeris absolutam, vel pleniorum meditentur, plura & quidem illustriora prestari in duabus harum regionum academiis debeant. Nihil est academicorum professorum ingenii felicius, nihil doctrinà exquisitius, nihil dicendi laude uberius. Ego alumnorum Electoralium rector, & quotidianus inspector tantò sum pessimus oratorum, quantò SOPHIA optima omnium heroinarum, & hodiè lacrymando ultimum officium debite in his terris pietatis publico scholæ illustris MISNENSIS nomine persolvens eodiciendi genere utor, quod languorem animo afferat, vim ingenij languefaciat, ardorem animi sese erigere conantis, tanquam flumine, obruat, adeoq; omnem orationis majestatem infringat & comminuat. Malui igitur committere, ut à quibusdam indisertus audirem, quàm à multis ingratus, non hoc habens polliceri, quod iterum mihi dicendum est, ut qua in ipso negotio sunt, depromam omnia, que si singula perstringam brevibus, tempus etiam me deficiat balbutientem. AUGUSTINUS non minùs piè, quàm scitè ait: In presenti tempore non sunt nisi hæc tria: NASCI, LABORARE, MORI. Ad hoc egregium sanctissimi viri pronunciatum, tanquam ad obrussam, exigam defunctam principem, heroinam SOPHIAM BRANDEBURGICAM, & primò quantum in me situm est, in hoc scholastico theatro vobis eam spectandam exhibebo in hanc vitam ingredientem, deinde in ea laborantem, deniq; ea exeuntem, sed ita, ut sine flore, sine colore extrema tantùm lineamenta formem, semperq; plura, quàm dicta sunt, dicenda restare ipsemet vobiscum existimem. O cælestis orator JESU CHRISTE, me hanc durissimam provinciam susipientem ama, anima, juva, ut si non expressam, saltè adumbratam virtutum ejus effigiem consecrer,

confecter, ex infinito laudum numero capita saltem rerum & fastigia delibata breviter decerpam, ac si minus polita & limata oratione, voluntate certe & affectione piè defunctæ heroine satisfaciam. Quod dum facio, oro & obtestor vos, auditores, per ipsam illam principem, de qua dicturus sum, quo animo, quaq; animi submissione quemq; vestrum orare & obtestari debeo, ut orationis meæ cursum aura bonitatis & humanitatis vestra sublevetis, ut quantum virium hic publicus justissimusq; dolor, meiq; cordis sensus mihi detrahent, tantum animi vestra in me audiendo attentio & benevolentia administret.

Et ligno hanc
scripsit
Vide sibi
Lignum orationum
de obitu Joh.
Wilhelmi Dux
Saxoniae.

Solertissimi nature speculatores tradunt, caneros esse minimos, quos Pinnoteras appellant: isti, quò tutiores sint, inanium concharum testis se condunt, & cum accreverint, migrant in capaciores: Ita quidam magnatum reperiuntur, qui quum vera, suaq; gloria careant, majorum suorum imaginibus sese efferant, quum suis virtutibus diffidant, majorum suorum titulis superbiant. Sed in hac laudatissima heroina illud locum habet minimè: vehementer enim dubito, ipsanè suis majoribus, an majores ipsi plus attulerint decoris & ornamenti: quæ enim in illis singulis singula magna atque divina putare queant, ea universa in una hac illustrissima foemina præpotens ille rerum molitor & effector Deus ita collocavit, & signavit, ut non ab illis nata, sed ab ipso Deo ficta & formata videatur. Est ipsi, fateor, genus alto à sanguine regum. Nihil gratiæ velificabor, nihil adu-labor, quod parasitorum est: oratorum more Dominam SOPHIAMBRANDEBURGICAM, beneficam harum terrarum matrem mortalem hanc vitam ingredientem vobis exhibebo, etsi me genealogum non profiteor, qui vobis casumodè narraturus videatur ab ultimo usq; principio seriem generis, ex quo nunquam satis laudanda heroina prodiit. Sed

tamen conabor aliquid, & quia hodiè apud viros principes,
consuetudine receptum esse, & rectè fieri intelligo, ut digni-
tas quaratur in antiquitate generis, inde etiam memorandi
principium ducam. Id verò huic SOPHIÆ omnium antiquis-
simum & laudatissimum obtigisse, nemo vestrum iverit in-
fitias, sive vetustatem, sive virtutem, sive rerum gestarum
gloriam, sive honorum & dignitatum fastigia, sive affinita-
tum amplitudinem consideret: Ipsius enim majores antiquis-
simam Romani Imperii provinciam MARCHIAM virtute
& jure germano insederunt, ac cum potentissimis regibus &
imperatoribus multiplici se jampridem affinitate devinxe-
runt. Eam, cui justa funebria facimus, beatissima SOPHIA
habet patriam, MARCHIAM, inquam, cui ab occidentali
plaga Saxonia, à Septentrionali Dania & Pomerania, ab ori-
entali Polonia, à meridionali Vandalia contermina est. Nil
dicam de veterum Marchie incolarum admirabili fortitudi-
ne, continentia, frugalitate, studio tuenda libertatis, disci-
plina domestica, & reliquis virtutibus, quarum testem gra-
vissimum JULIUM CÆSAREM habent. Taceo, quomodo
dividatur in Marchiam veterem, novam, & Uccarinam.
Sileo, quod hodiè non amplitudine tantum & frequentia ur-
bium, & soli ubertate, verum aliis etiam illustrioribus orna-
mentis religionis, ingenuarum artium ac disciplinarum, adeo-
que omnibus belli ac pacis artibus nulli aliarum regionum, &
Romani imperij provinciarum sit inferior. Vetustiora etiam
illa prætereo, nec dico, qua tempestate & via PETRUS CO-
LUMNA, patricius & nobilis Romanus, quem alij ex anti-
quissima Camillorum, alij Guelforum stirpe, Bertholdi scili-
cet & Othonis posteritate deduxere, Pontifice Romano, GRE-
GORIO VII. (cujus electionem tanquam vitio factam im-
probaverat) in vincula ab se coniecto in Germaniam ad
HENRICUM IV. IMPERATOREM profugiens gentem
ZOLLERI-

ZOLLERIANAM vel condidisse, vel amplificasse perhibea-
tur, quum ab eo agrum quendam in Suevia dono accepisset,
& arcem ZAGAROLLAM condidisset. Latere quoque patior,
qua atate aut virtute ipsi Comites Zollerenses hoc tam illu-
stre Marchionum Brandeburgensium plantarium condide-
rint, quomodo hinc inde furculos immiserint, qua denique vir-
tute BURGGRAVIORUM NORIBERGENSIUM titulum
adepti fuerint. Nec lubet mihi commemorare, quomodo anno
ante natum Christum undecimo DRUSUS primum Marchi-
onem in oppido SOLTVEDEL constituerit, quomodo longa
serie ipsi successerint Sigfridus, Gero, Brunico, Hugo, Sighar-
dus, Theodoricus, Udo, Albertus Ursus, Otho primus, Walde-
marus, Ludovicus Romanus, Otho Secundus Ludovici fra-
ter, Wenceslaus, Sigismundus: Hi enim sunt paulo remotio-
res Marchiones Brandeburgenses, quos etsi in hac mea fune-
bri oratione missos facio: nulla tamen eorum eximia facta no-
bilitium scriptorum monumentis consignata unquam oblitera-
bit etas, quanquam conqueri necesse habeo, veteres scripto-
res ipsorum res praeclaras, & aeterna dignas memoria litteris
mandare, ob multitudinem non potuisse. Scilicet hic amnis
est iste lethaeus, qui multas illustrium familiarum laudes al-
tissima quadam voragine demergit. Venio ad propiores, & ut
tam brevitati, quam certitudini consulam, initium facio à
FRIDERICO V. veluti novo auctore generis Electorum
Brandeburgensium: Is enim ob res sapienter fortiterque domi
bellique per Ungariam, Bobemiam atque in Imperio gestas (per-
exigua enim manu prope CARLSTEINIUM fudit Hussitas)
ab Imperatore SIGISMUNDO in Concilio Constantiensi
PRIMUS ELECTOR ET ARCHICAMERARIUS sacri
Romani Imperij designatus est, anno millesimo quadringen-
tesimo decimo septimo, quem JOANNES HUSS suo & san-
guine & carbone ad mundi hujus veluti parietes memoriae
posterita-

posteritatis Christianae consignavit. Hic FRIDERICUS V.
Septemviratum Brandenburgensem maximis opibus cumula-
vit, potentia auxit, auctoritate munivit, latissimè propaga-
vit, fortissimè defensum dedit annos viginti tres, menses
quinq, tres dies. Uxorem habuit ELISABETHAM Bavaram,
Friderici Landehutensis filiam. Huic successit FRIDE-
RICUS FILIUS, qui propter bellicas virtutes MARCHIO
CUM FERREIS DENTIBUS fuit appellatus ob eximiam
in rebus gerendis acrimoniam, & quasi dentatam severita-
tem. Hic Ericum & Werslaum duces Pomerania debellavit,
debellavit & Megapolitanos principes, & illorum vires at-
trivit, unde magnos & heroicos coepit gerere spiritus, glo-
riaq, sua percelluit hostes, quibus terrori fuit, quamdiu in
viviis fuit: potuit enim illos bellis adoriri facile, & poten-
tia sua fretus, & magnitudine animi impulsus: potuit ful-
minis in morem hostiles turmas disjicere, conatus elidere,
impetus frangere. Victoriā in ferreis suis dentibus ge-
stare videbatur semper vincere adsuetus. Coronam regni
Polonici, quam alius sanguine & vita affectasset, ultrò ob-
latam recusavit, & in Casimirum Lithvanum transtulit.
Uxorem habuit Friderici I. Bellicosi Saxon. Electoris filiam
CATHARINAM, unde cognoscere potestis, auditores,
quam antiqua sit animorum & sanguinis inter domum Sa-
xonicam & Brandenburgicam conjunctio, quae hodieq, durat,
porroq, ut duret, Deum veneror. Huic Friderico cum ferreis
dentibus in Electorali dignitate successit frater ALBERTUS
SECUNDUS ACHILLES, ET ULYSSES GERMANICUS
cognominatus non à plebecula, sed ab ipso summo Pontifice.
Is omnem aetatem bella gessit, neq, sanè infeliciter: vel enim
victoria potitus fuit, vel res ad compositionem deduxit,
fortunis interdum suis eversis. Nulli civitati imperiali pe-
percit, non Palatinatui ad Rhenum, non Silesiae, non Bohe-
mia, non

miæ, non Borussia, non Ungaria, non Polonia, non Pomerania, & quidem duces Pomeranorum sibi subditos, & suos fecit vasallos. Vix angulum in Germania reperiri censent, quem armatus non calcârit, vix ullum genus belli, in quo fortuna ipsum non exercuerit. Homere, si vixisses, nova Ilias, nova Odyssea tibi conscribenda fuisset. Hic primam conjugem habuit MARGARETAM filiam Jacobi Marchionis Badensis: alteram, ut frater Friderici I. Bellicosi Saxonis: Ita hic Friderici II. Placidi filiam uxorem habuit. Non lubet hic digredi, ne orationis leges violare, historia sequi videar. Missis igitur iis, qui in legibus Romanis EX TRANSVERSO, ET A LATERE vocantur, nolo vobis commemorare, quomodo in altera linea, cujus initium facit Albertus ille Achilles per filium ejusdem ex ANNA Friderici Elect. Sax. filia genitum FRIDERICUM propagati sint Marchiones, quibus postea in divisione hereditatis imperium Francia orientalis, & Voithlandia cecidit. Progrediar ergo in semita mea. ALBERTO susceptus est in Imperio JOANNES, qui à procera & heroica statura, qua eminebat, atq; illa, qua in Imperio Romano valebat, auctoritate MAGNUS, ab eloquentia verò GERMANICUS CICERO nuncupatus est. Contra Joannem ducem Saganensem multa duxit bella, & tandem eum superatum in perpetuum carcerem detrusit. Adversus Silesios & Bohemos etiam victoriam obtinuit. Eloquentiæ verò specimen memorabile edidit, quando tres potentissimos reges, Casimirum Polonia, Vladislaum Bohemia, & Matthiam Ungaria, Utratislaviam Silesiorum, quam sibi deberi pro se quisq; contendebat, obsidentes oratione gravi, copiosa & admirabili eò redegit, ut pace facta quisq; ad suos discesserit, hac ratione Germaniam externi belli terrore liberans. Tanta eloquentiæ vi fuit hic Joannes peditus. Uxorem habuit MARGARETAM Wilhelmi Ducis Saxonie filiam, ex qua suscepit duos filios JOACHIMUM

MUM

MUM I. & ALBERTUM III. quorum ille Electoratum
Brandenburgensem, hic Electoratum Moguntinensem admini-
stravit. Exemplo patris JOACHIMUS I. se oratorem pro-
bavit, & de rebus gravissimis ex tempore, si opus esset, summa
cum admiratione saepe dixit, ut tam sapientia, quam eloquen-
tia laudem incredibili diligentia partam facile tueretur:
Quemadmodum enim principes viri vestimentorum elegan-
tia, & reliquo omni ornatu corporis privatos superant: Ita
& ipsos omnibus eloquentia & facultate dicendi anteire
oportere statuit, quod multo pulchrius sit, & vero principe
dignius animum habere sapientia ornatum, quam corpus
concinnitate illa decoratum: neque enim probari posse illos, imo
culpa gravi sine dubio affines esse, qui quum re ipsa, factisque
primum locum inter mortales obtineant, videri merito pos-
sint quibuslibet hominibus in studio linguae, facundiaeque poste-
riores. In hoc igitur studio quantum profecerit, recte osten-
dit: Nam CAROLUM V. in augustis illis Imperii comitiis an-
no millesimo quingentesimo trigesimo celebratis oratione la-
tina verbis, rebus, & sententiis illustri accepit, quae ita Impe-
ratori placuit, ut postea ore ejus quasi vicario ad principes
Germaniae uteretur. Eadem lingua LIBURNORUM legatis
auxilia contra Turcam petentibus respondit. ACADEMI-
AM FRANCOFURTENSEM ad Oderam condidit Impera-
tore MAXIMILIANO I. & summo Pontifice ALEXAN-
DRO VI. consentientibus, & suis diplomatis confirmanti-
bus A. C. millesimo quingentesimo sexto V. Calend. Maji. Et
sub hoc JOACHIMO I. demum Marchici coeperunt studia
colere antea litterarum plane rudes, de quibus vel nihil, vel
vix aliquid fama acceperant. ALBERTUS ELECTOR
MOGUNTINUS PACIFICUS est nuncupatus, & pacis
inter Pontificios & Protestantes Imperii in causa religionis
sancitae auctor & Musarum singularis fautor extitit, ac pon-
tificiarum

tificiarum superstitionum defensor acerrimus, pacis tamen
amantissimus. Uxorem habuit JOACHIMUS I. ELISABETHAM Joannis Cimbrorum regis filiam. JOACHIMO I.
successit JOACHIMUS II. GERMANICUS NESTOR di-
ctus, qui academiam Francofordensem instauravit, eiq; lu-
cem Evangelij intulit. Semel atq; iterum contra immanem
istum Christiani nominis hostem Turcam fortissimi militis
ductor in Ungariam descendit, ubi quum Casonum ducem
Turcicum ad Leopoldium interfecisset, à Casare cingulo eque-
stri est donatus. Primus elusis pontificiarum superstitionum
deliriis ecclesias principatus sui ad regulam Augustanae Con-
fessionis conformavit frustra utroq; socero, tum Georgio Sa-
xone, tum Sigismundo rege Polonia dissuadentibus. Hic idem
JOACHIMUS II. cum JOANNES FRIDERICUS Ele-
ctor Saxo, princeps post hominum memoriam constantissi-
mus, ad Silvam Lochanam superatus à CAROLO V. capti-
vus traheretur, jamq; in eo esset, ut capitis damnatus plecte-
retur, celerrimis itineribus ad castra Caesaris, qui tunc Pistri-
cuj in pago academia Witebergensi, & ejusdem urbi ad Solis
occasum vicino commorabatur, perrexit, suaq; auctoritate illi
& vitam & salutem impetravit, & cum Mauricio pro Phi-
lippo Casari reconciliando summoperè laboravit. Uxorem pri-
mam habuit MAGDALENAM Georgij Barbatii Ducis Saxo-
niae filiam, ex qua suscepit JOANNEM GEORGIUM defun-
ctae heroinae patrem hora prima antemeridiana III. Id. Se-
ptembris, anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto:
alteram HEDVIGEM Sigismundi I. regis Poloniae filiam.
JOANNES GEORGIUS heroinae defunctae pater cum adhuc
esset etatis tenerioris, nec posset discendi labores sustinere lu-
sitans in parentum gremio nihil aliud vidit, aut audivit,
quàm quod ad pietatem, morum gravitatem, pudorem neces-
sariam præursionem adhiberet. Post firmioris etatis puer
C bonis

bonis litteris imbutus est initio quidem à GEORGIO MEI-
SNERO, philosopho & philologo, cujus in fide, diligentia ni-
hil, in timiditate autem aliquid non ita regere valente tenel-
lum principem desideratum fuit: est enim institutio princi-
pum res singularis peritia, eximia prudentia, multa virtu-
tis, maximi laboris, infinite difficultatis, immensi fructus,
cujus operum fastigia spectantur, fundamenta latent. Po-
stea verò Meisnero mortuo à BARTHOLOMÆO RADMA-
NO Jureconsulto, qui deinde locum inter professores juris
Francofurti ad Viadrum obtinuit, vir singulari prudentia,
& omnium virtutum genere excellens. Adolescentulus in
studiis fecit hic princeps progressus, qui illam etatulam de-
cent maximè: didicit enim benè sapere, vivere, loqui, qui
sunt fines studiorum primarij: nec desit amare litteras,
quamdiu se proficere intelligeret. Ad academiam quoq; Fran-
cofordensem à patre missus est, in qua supremum cum maxi-
ma laude gessit magistratum. Attamen impensius artes equi-
tandi, arcum tendendi, fundam rotandi, jaculandi coluit,
quàm artes liberales: nec tam amavit exercitationem litte-
rarum, quàm certaminum equestrium, quibus tanquam reli-
quiis veteris disciplina germanica principes superare didi-
cerunt & agonas Olympicos, & ludos Romanos ad delectatio-
nem & splendorem magis paratos: certaminibus enim eque-
stribus germanicis conservârunt sui ordinis dignitatem &
virtutem, quùm in ea descendere & colluctari non solum nul-
li maculoso homini, sed nemini, nisi omnibus vitæ partibus
probatissimo liceat, exclusis omnibus manifestè impiis, sa-
cristis, perfidis, perjuris, homicidis, scortatoribus, adul-
teris, furibus, latronibus, expilatoribus, quæstum popula-
rem facientibus, & qui deniq; essent hybrida, nec oriundi
ex pura puta nobilitate. Venationum quoq; studio deditus
fuit, quod si moderatum sit, principibus non potest verti
vitiis

vitio, modò non ex hoc studio in Acteonas transeant, nec ex
imperatoria piraticam & latrocinia faciant: Nam, & Ju-
lius Pollux Imperatorem Commodum, ut studiosus venatio-
nis esset, admonuit, quod & hoc studium heroicum esset, &
ad corporis animiq; sanitatem conservandam plurimum con-
duceret, & militiae specimen haud vulgare praeberet. Ipse
quoq; Marcus Antoninus Imperator & philosophus, ut ani-
mum remitteret à gravioribus Reip. curis, & venationibus,
& piscationibus se refecit & recreavit. Idem studium non
intermittit etiam hodieq; noster Elector suo avo cognominis.
Sed transeo ad cetera.

Cum ex ephébis excessisset actis sub praeceptoribus ado-
lescentia annis sanctè, integrè, & pudicè, animum suum ad-
jecit ad matrimonium anno aetatis suae vigesimo, & in uxorem
accepit JOANNES GEORGIUS Marchio Brandenburgensis
SOPHIAM Friderici Ducis Lignicensis filiam, ex qua suscepit
filium unicum JOACHIMUM FRIDERICUM anno millesimo
quingentesimo quadragesimo sexto, VI. Cal. Februarij, hora
quinta pomeridiana, ARCHIEPISCOPUM MAGDEBUR-
GENSEM bonum, salutarem, pacificum, qui templum cathe-
drale exploso Antichristo repurgavit, de Burggraviatu quoq;
Magdeburgensi cum Augusto Elect. Saxon. amicè transegit,
parenti in dignitate Electorali successit, illustrem scholam
Marchicam in VALLE JOACHIMI aperuit. Mater pie-
tissima nono die post partum rebus humanis exempta est. Itaq;
plus uno anno cum ipsa in conjugio non vixit. Anno sequente
exarsit funestum & acerbum illud bellum, luctuosum Germa-
niae, grave omnibus bonis inter Carolum V. Imperatorem, &
Joannem Fridericum, ducem & Electorem Saxoniae, cui etiam
pater beatissima heroina, avus nostri Electoris interfuit, &
cum Imperatore ac Ferdinando rege Ungariae & Bohemiae
Caroli V. fratre, aliisq; viris illustribus, ac strenuis militibus
pugnavit,

pugnavit, tantumq; dignitatis & gloria inde reportavit, ut
Imperator Carolus V. eum insignibus equitis aurati donave-
rit. Hac fama, hac virtute, hac gloria etiam alij reges &
principes ejus operam, si fors belli calamitas eos premeret,
ambire cœperunt, qui etiam ipsi annuas pensiones exolve-
runt. Prima conjuge per mortem è vivis erepta anno ætatis
sue vigesimo tertio duxit secundam nomine SABINAM fili-
am Marchionis Georgij Onoltzbachici, ex qua genuit liberos
undecim, tres filios & octo filias, quarum tres fuere supersti-
tes, una ERDMUDIS, altera ANNA MARIA, tertia de-
functæ heroina Diva SOPHIA. Reliqui liberi ex hoc secundo
geniti conjugio, quia immaturo partu editi erant, è vivis
sublati sunt. ZEHLINI in episcopatu Havelbergensi se-
dem suam fixam habuit annos septendecim, & defuncto pa-
tri JOACHIMO II. in Electorali dignitate successit anno
ætatis quadragesimo quinto, imperante MAXIMILIANO II.
Anno nati in hunc mundum Salvatoris JESU CHRISTI
millesimo quingentesimo septuagesimo quinto interfuit Co-
mitiis Ratisponensibus, quibus RUDOLPHUS II. Romano-
rum Imperator electus est. Defuncta hac secunda conjuge,
qua cum annos circiter viginti octo in matrimonio vixerat,
animadvertens illustrissimus princeps, quanta plaga suo pri-
mo & alteri conjugio esset divinitus imposita, vix ut sanari
posse videretur, pietate, & copia bonæ doctrinæ præ plerisq;
sui ordinis instructus dolori, quantum potuit, medicinam fe-
cit, & subindè cogitavit, quomodo tres filias matre orbatas
rectissimè educaret. Id consilium diligenter & religiosè ur-
sit, atq; hoc magis, quod quantum mali educationis negligenti-
æ contineret, perspiceret. Adsuefecit parvulas disciplina
domestica ad mores regios, & ad omnes virtutes, quæ decent
illustres virgines, quibus quum solus eas non posset, ut vole-
bat, imbuere, sociam sibi elegit, & tertium luculentum con-
jugium

jugium sibi conciliavit: data enim ipsi nuptum fuit ELISA-
BETHA Joachimi Ernesti principis Anhaltini filia, qua ni-
bil erat probius, nihil pudicius, nihil religiosius, nihil mode-
stius, nihil mariti observantius, anno Christi millesimo quin-
gentesimo septuagesimo septimo. Ea ipsi peperit decem libe-
ros, filios sex, & filias quatuor, quos omnes post se reliquit
salvos & incolumes, in regis artibus rectè educatos, Marchia
ornamenta, familiae suae firmamenta, de quibus plura non di-
cam, quum hodiè & Marchia, & toti Imperio praesint, pro-
sintq̃. Cum hac tertia sua conjuge vixit annos viginti.
Quum autem coepisset JOANNES GEORGIUS Marchio &
Electo Brandenburgensis clavum imperii tenere, & guber-
nacula Electoratus Brandenburgensis tractare, tractavit ea
legibus equissimis, ut boni gauderent, improbi dolerent, ut
suorum subditorum vita opibus firma, copiis locuples, gloria
ampla, virtute honesta esset, ut juris & judiciorum equitate
suum quisq̃ teneret, neq̃ tenuioribus imbecillitas sua fraudi
esset, neq̃ locupletioribus invidia obsesset. Hac justitiae obser-
vatio florentes civitates efficit, & inter cives animorum
consensionem & securitatem conciliat, qua ad salutis princi-
pum custodiam nulla est tutior, nulla firmior. Jus & equi-
tas vincula sunt civitatum, & his corruptis, quid sunt ma-
gna etiam regna, nisi magna latrocinia? Tros Tyriusq̃ illi
nullo discrimine habebatur, & ut duodecim tabule loquun-
tur, idem Sanatibus, quod Forcibus jus erat. Non ferebat in
suis provinciis illud Jurisconsultorum valetudinarium, qui
justitiae tenebras offundebant, sui questus causa fictas suscita-
bant sententias, lites mira arte sufflaminabant, & quos se-
mel in plagas suas compulerant, eos non nisi depilatos dimit-
tebant. Quoniam verò caput omnium est pietas, totus in eo
fuit, ut cum justitia vera Dei cognitio apud suos propagare-
tur subditos, Augustanam Confessionem, invariata illam,

& Carolo V. anno trigesimo exhibitam post scripta propheti-
ta & apostolica cum Schmalcaldicis articulis, & tribus sym-
bolis academiae suae, & omnibus Marchiae ecclesiis sedulo com-
mendavit. Non verbis & simulatione, sed animo & vita
omnibus partibus testatus pietatem omnes subditos suos ad
has normas Christianè vivere & credere jussit: vetuit cul-
tum divini numinis in questum verti, & opinionibus fasci-
nari mentes, constanter religionum sphingas magno animo
adversatus ac detestatus est. Ad conscribendam FORMU-
LAM CONCORDIAE nullis sumtibus pepercit, nec solum suos,
quos in academia Francofordiensi profusè aluit Theologos,
MUSCULUM & CORNERUM adhibuit, sed etiam patriae meae
BRUNSVIGÆ incomparabilem Theologum D. MARTINUM
CHEMNITIUM, quo post Lutherum doctiorem Theologum
nunquam extitisse rectè statuit, quem etiam cum Luthero na-
sci oportuisse, aut nunquam denasci, harum terrarum Theologi
optarunt, ad tam sanctum opus feliciter promovendum in ha-
sce terras misit. Academiam suam auxit, fovit, conservavit,
professores amavit, observavit, scholis, quas non ignorabat
bonorum omnium fontes esse, & religionis, virtutis, atq; omnis
honestae disciplinae quadam veluti seminaria, & publica com-
munis patriae quasi armamentaria, annua stipendia, & ali-
menta prorsus necessaria suppeditavit, & nihil eorum, quae ab
avo & parente suo in honorem Dei fieri meminerat, intenta-
tum reliquit. His virtutibus omni tempore in administratio-
ne Septemviratus Brandenburgensis toti Imperio & suis subdi-
tis declaratis, quis esset, ostendit, hoc est, sui similis, & perin-
de bonus, ut fuisset omni adolescentia ab omnibus semper
habitus, siquidem, ut à Biante dictum fuisse accepimus, ma-
gistratus virum indicat. Nec in tot, tantisq; curis unquam
deposuit ex animo suo curam (nec verò etiam cura sanctior
in vita privata esse ulla potest) trium filiarum matris orba-
sarum,

tarum, quas in verè Lutherana religionis pietate, & omni-
bus regis virtutibus rectissimè educavit. Vita quàm sine
virtute & dignitate non nisi bruta esse judicetur, profectò
liberos procreasse tanti non est, quanti humanitate, virtute
& pietate imbuere. Nec omnia fortuna bona tanti sunt, nec
populorum imperia, quantò homini nato recta educatio, imò
ei demùm bona, qui rectè vivere, & illis benè uti didicerit.
Æquè autem hæc ad sexum imbecilliozem pertinere sentiunt,
qui quantum à fœminis tùm mali, tùm boni profectum sit,
vel ex hystoria veteri, vel ex observatione vita quotidiana
reminiscuntur. Hoc ipsum verò Illustrissimus pater JOAN-
NES GEORGIUS Marchio & Elector Brandenburgensis præ-
clarè curavit, & ut cætera oratione non illustrem, nullum
neq; boni patris familias, neq; boni principis officium neglexit.
Omnes enim suos liberos pientissimè educari curavit, & tres
è secundo conjugio susceptas filias nobiles, & maturas viris
factas splendidè elocavit, ERDMUDEM JOANNI FRI-
DERICO, Duci Pomeraniae, ANNAM MARIAM BAR-
NIMO, Duci etiam Pomeraniae, Joannis Friderici fratri
germano, SOPHIAM, ab, ab, defunctam heroinam CHRI-
STIANO I. Electori Saxonie, unico ex novem AUGUSTI
filio, etiam piè, beateq; defuncto, & in illa optata beatorum
loca ex hac scelerum colluvie ac voragine translato. O fata
miserabilia! ô fata immitia! ô fata ominosa! ô certissima
impendentium malorum presagia.

Nascentem vobis exhibui, auditores, Divam nostram
SOPHIAM, heroinam nunquam satis laudandam ex patre
magnanimo, JOANNE GEORGIO, Sacri Romani Imperij
Archicamerario, & Electore, Marchione Brandenburgico,
Prussia, Stetini, Pomerania, Cassubiorum, Sclavorum, & in
Silesia Crossorum Duce, Burggravio Noribergico, principe
Rugia, & ex generosissima & illustrissima matre SABINA,
filia

filia Marchionis Georgij Onoltzbachij, ZEHLINI anno
millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, sexto die Junij.
Hoc patre, hac matre, his majoribus sanguinem & spiritum,
amorem Dei, rerumq; divinarum hausit SOPHIA BRAN-
DEBURGICA, quæ mihi, mihi autem? imò vobis omnibus,
omnibus hisce provinciis hodiernum diem funere & sepultura
sua fecit lamentabilem. Paulò operosius ejus majores recensui
non ideò, ut eam alienis vestirem laudibus, quæ suis niti ve-
rissimis potuerit, sed ut intelligeretis, quàm se majoribus suis
præstiterit dignissimam. Hoc etsi in hoc conventu frequen-
tissimo nemo ignorat omnium: tamen referetur à me, quan-
tum meminero, quùm hoc ipsum hoc loco potissimum à me re-
quiri intelligam. Vos autem, uti cœpistis, benignè accipie-
tis orationem meam, ego vestro testimonio utar, neq; commit-
tam, ut in hoc genere dicendi scholastico pars à me ulla in re-
bus non necessariis consumpta videatur: Nihil enim dicam,
quin & verum sit, & omnes probaturos sciam, nisi quis &
huic ipsi heroine, quam hodiè lugemus, & veritati se hostem,
infensumve profiteatur. AUDITE ERGO NUNC EAM
LABORANTEM. Quomodo verò? An non omnis virtutis
laus consistit in actionibus? an non ex actionibus cognoscitur
habitus? Habitus certè, non habitum omnium regiarum vir-
tutum sibi compararat in Marchia apud illustrissimos & glo-
riosissimos parentes, à quibus elegantissimè & liberalissimè
educabatur, quosq; ita venerabatur, ut nunquam omninò
neq; privatis, neq; publicis in rebus voluntas à sapientissimo
ipsorum consilio discreparet. De infantia ejus nil dicam, quæ
qualis fuerit, cogitatione vestra facilius potestis depingere,
quàm ego verbis commemorare. Placeat saltem audire sapi-
entissimum Salomonem, quem fateri non pudet, se natum
communem hausisse aërem, atq; in terram iisdem incommodis
malisq; obnoxium decidisse, ac primam vocem eandem, quam
omnes,

omnes, plorantem emisisse, in fasciis, curisq; fuisse educatum:
Nullus enim rex aliud nascendi initium habuit. Mutata ve-
lificatione de privata ejus vita paucula ad vos verba faciam.
Nil hac virgine prima crepundia deponente fuit sanctius, ca-
stius, integrius: virginitatis florem tam pudicè traduxit, ut
quemadmodum agricolæ ex floribus arborum fructus solent
presagire: sic jam tum ex florescente indole hujus illustrissimæ
virginis facile fuerit divinare excellentem quandam frugem
& maturitatem omnium virtutum, quam ipsis Marchicis
præconibus demetendam relinquo, qui ejus jam inde à pusilla
virgine vivendi rationem penitissimè perspectam & explo-
ratam habuere. Scitis, quàm multas & lubricas vias prima
illi ætati natura ipsa proponat, quàm multa blandimenta au-
la & fortuna paulò illustrior subministret. Sed hanc virgi-
nem neq; natura flectere ad voluptatem potuit, neq; ullo im-
pure libidinis vapore afflare, nedum flamma adurere, neq;
aula in illo ætatis calore, in illis vitæ deliciis, in illis volupta-
tum, quibus principum aule affluunt, & sæpè disfluunt, ille-
cebris detorquere ad luxum & convivia, non se trahi passa
est ad ludorum spectacula, non ad saltationum levitatem,
non ad sermonum obscœnitatem. Fuit ea in radicibus virtu-
tum firmandis tanta animi constantia, ut eam jam tum po-
tius sacra biblia, quàm convivia, labor quàm lascivia, litte-
ra quàm libido delectarint. Eum vitæ cursum hac regia puel-
la tenuit, auditores, in hoc fragili sexu, in hac inconstante
ætate constantissimè, in illo regiarum ædium strepitu, in tan-
to tumultu. Sic incendium cupiditatis extinxit, sic vitiorum
omnium appetitiones compescuit, sic titillationes volupta-
tum repressit. Nihil à me pro tempore dici, nihil etiam me
gratia velificari, nihil auribus dare, testes sunt Marchicorum
hominum sermones, testes ipsius mores, in quibus singularis
semper gravitas, semper eximia sanctitas eluxit. Prædicent

D

itaq;

itaq; Romanae & Graecae historiae suas Alcestidas, Lucretias,
Sulpitias, Cornelias, Livias, Octavias, Pulcherias, Hypsi-
crateas, Timocleas: Nos ἡμεῖς Ἰαυμασὸν γυναικὸς, ἢ ὡς ἔλεγοντο
παμῆιον δεσπῆς veneramur nostram SOPHIAM BRANDE-
BURGICAM, cujus luctuosum & ad oculos devolutum ipsos
funus, jam nos prosequimur dolentes omnes & singuli. Itaq;
ad vitam ejus publicam progredior. Est, est, est, auditores,
magna vis regiae originis: quos enim prepotens omnium re-
rum moderator Deus pluribus populis praeficere destinavit, in
iis, tanquam excellentibus & eximiis naturis, progressum eta-
tis expectare non oportet: virtutis enim, quam aetatis cursus
in iis celerior est: virtus in iis non expectat annos, sed semina
sapientiae in eorum animis tempestivius adolescunt, quam
quibus eadem doctrina & adsuefactione inserenda sunt.
Quum ergo ita efflorescente aetate studio & ingenio aetatem
praecurreret optima & sanctissima nostra heroina, id, quod
natura flagitat, & lex Christiana jubet, fecit, & CHRISTI-
ANO I, ELECTORI SAXONIAE, sibi & aetate, & virtute,
& fortuna dignitate aequali DRESDAE NUPSIT, anno su-
pra millesimum quingentesimum octogesimo secundo ipsa Do-
minica Quasimodogeniti, ex singulari fati divini dispositio-
ne, non tam nubendi voluptate, quam illustrissimo parenti
morem gerendi voluntate. Ibi & tam illustrissimo parenti,
quam socero, tam marito, quam omnibus subditis Quasimo-
dogenita, id est, quasi in prima semente spem messis opima fa-
cere visa est: Etenim coepit virtutum gemmas, quae fruticari
coeperant, sensim protrudere in universa aula, admirantibus
omnibus & singulis, & in ipso conjugio, in quo singularem
Dei benedictionem mira felicitate cumulata sensit, spem
frugum uberrimam ostendere. Quum enim ipsius ambae soro-
res ERDMUDIS, & ANNA MARIA essent improles, se fec-
cundam solam experta est, & aureo partu, felicissimoq; caeli
positis

positu mox sequenti anno millesimo quingentesimo octogesimo
tertio PEPERIT CHRISTIANUM II. ELECTOREM,
IX. Calendas Octobris, hora quarta matutina, quem baptismi
lavacro initiarunt præter ceteros Augustus Elector avus, &
avia regina Cimbrorum. Quid putatis auditores? An non ibi
laboravit SOPHIA BRANDEBURGICA? Ab gravissimè
laboravit: Cum enim nullus partus doloris expers sit, tum in-
primis juvenularum partus sunt difficiles, ut vulgò notum
est, & relatum à philosopho, aded ut Medea Euripidis meritò
queratur, & in ceteris haud dubiè benè dicat: Malle se ter ad
clypeum in acie stantem cum hostibus conflare, quàm semel
modò parere. Nec sine causa ante poëtam Tragicum princeps
ille poëtarum præacutum telum nominavit partum mulie-
brem. Partionis difficultates, & regine & mendicæ communes
sunt, foemineo sexui divinitus impositæ, quarum causam ponit
Aristoteles in excrementis, quibus foemina abundant. Nostra
verò SOPHIA veriore causam ex sacris cognoscens litteris
dolores primi partus fortiter sustinuit, magnanimo marito
singulare gaudium attulit, qui & regia apparabat ἀγασθηρα,
ex quibus singuli aulici letitiam capiebant, universi verò
subditi applausum faciebant. Erat ad pudicitiam, ad mode-
stiam, & verecundiam diligentissimè educata, ideò maxima
ejus erat cura, & hæc una sollicitudo, ut illustrissimo marito
voluntatem subjectissimam, fidem conjugalem, amorem
ardentissimum omni studio, officio, reverentia, & suavi-
tate declararet, quæ quùm summa sit unicuiq; mortalium
felicitas, principibus longè maxima est. Ritibus itaq; con-
jugalis amoris denuò implicata maturo tempore feliciter
in arce Dresdensi secundum filium PEPERIT JOANNEM
GEORGIUM, III. Nonas Martij, hora decima, post meridi-
em, anno octogesimo quinto, cujus per baptismum initiatio-
ni Christianismi adfuerunt uterq; Elector avus, & avia.

Quid cogitatis, auditores? an non & hic laboravit optima,
& optimè de nobis merita SOPHIA BRANDEBURGICA?
Ah duriter laboravit & utiliter. O partum felicissimum! ò
partum desideratissimum! ò partum omnibus nominibus &
ominibus exoptatissimum! Si enim hic noster Elector hodiè
nobis clementissimè imperans non fuisset in lucem editus, &
jam duobus fratribus morte prematura è medio sublatis su-
perstes, & rector & Electore, optimo patria patre carere-
mus, nisi fortè & illi post obitum superstites rectè existiman-
tur, quorum memoriam nulla posthac inter homines delebit
oblivio. An non laborasse vobis videtur illustrissimi generis
illustrissima defuncta, & cælo jam addita heroina SOPHIA,
cum anno octogesimo sexto VIII. Calend. Februarij ederet in
lucem primam filiam ANNAM SABINAM? An non labo-
râsse vobis videtur, auditores, cum eandem VIII. Calend.
Aprilis post duos menses morte extinctam sepeliri curaret.
Sic filia, quæ maximo animum ipsius gaudio cumulârat, ea
duobus decursis mensibus in ingentem mœrorem ipsam conje-
cit ad luctum. An non laborasse vobis videtur, cum alteram
filiam SOPHIAM III. Calend. Maji, anno octogesimo septi-
mo eniteretur? An non laborasse videtur vobis, cum filiam
tertiam ELISABETHAM XIII. Cal. Augusti anno octo-
gesimo octavo in hanc vitalem auram produceret? An non
laborasse vobis videtur, cum eandem anno mox sequenti IV.
Nonas Martij ad sepulturam efferrî ex aula oculis suis cerne-
ret? Et hic partus plus aloës, quàm mellis habuit. Quis hic
sibi temperet à lacrymis, & tot labores, tot dolores gemebun-
da voce non attestaretur? An non laborasse vobis videtur,
cum tertium filium AUGUSTUM anno octogesimo nono
VII. Idus Septembris vesperi post horam VI. his terris dona-
ret? An non laborasse vobis videtur, cum tam mitem, tam
salutarem, tam integrum, tam veracem, tam pacis & con-
cordiæ

cordia amantem, tam apertum, tam candidum, tam inge-
nuum principem in flore atatis extinctum, huiusq; manda-
tum pompa procedente more principum, solito apparatu, so-
lenni concione mœroris plenissima videret. An non laborasse
vobis videtur, quum quartam filiam DOROTHEAM anno
nonagesimo primo VII. Idus Januarij in hanc calamitosam
vitam exponeret, quam puram & nullo istius temerata
crimine mundi, sed brevi functam mortalia seculo, ut citò di-
vinas perfrueretur opes, ut Paulini utar versibus, rursùm ad
se Deus evocavit eodem, quo nata erat, anno, in ipsa infan-
tia vigesimo quinto Septembris. Dolorum, dolorum, Deum
immortalem hic satis: Laborum, laborum, pròb dolor, in his
septem partibus satis! Hos quia diffudit in regionis totius
Misnicæ labantia & agræ membra unum antea tanti imperij
heredem agnoscentia, quæ beneficio tot laborum immortalis
ac divino respirarunt, convaluerunt, & ope ac levatione tot
rutæ Saxonica germinum adhuc perfruuntur, converso ad
vos sermone per me ita gestiens loquitur: O me desertam
quondam! ò me infelicem & miseram! O me vulneribus con-
fectam, & tot filiorum mei augustissimi Domini AUGUSTI
funeribus defatigatam! Nunc verò florentem, nunc incolu-
mem, nunc beatam! Tu afflictis meis rebus levationem attu-
listi: tu ò Diva heroina SOPHIA tam salutari tot libero-
rum partu vitam mihi dedisti, sterilitatem expulisti, signum
ad benè sperandum de successoribus imperij mei extulisti. To-
tum hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum
tuum est, non se tuæ sorores in hujus gloria societatem offe-
runt, tibi cedunt, tuam esse totam & propriam fatentur.
Tibi, tibi soli hoc divina tribuit indulgentia, ut tot principum
Patriæ meæ, & ducum Saxonie mater existeres. Quibus ego
te predicationibus commendem posteritati? qua letitia? qui-
bus gaudiis? qua alacritate te celebrem? Quibus ego te lau-
dibus

dibus efferam? quibus studiis prosequar? qua benevolentia complectar? Tu insignes singularium virtutum radios de te jecisti, quarum consecutis annis lumen se copiosè diffundet. Verum abripior longius fortassis, quàm par est, amore hujus beneficij ad excellentem optime heroinæ fecunditatem demonstrandã, de qua nunc dicere prolixius desino, ut, quæ inde innumera beneficia ad omnem Misniam, & ejus circumjacentes regiones dimanaverint, breviter solùm adumbrem.

Fuerunt hi dolores, fuerunt hi labores tot partuum, etiam vestro judicio, periculosissimi, gravissimi, durissimi, sed NON MINORES SUSTINUIT IN IPSA EDUCATIONE, quam, quia in ea, ut in principiis veris virtutum inesse potissima, vel penè omnia intelligebat, DIREXIT AD PIETATEM, COMMUNEM UTILITATEM, PUBLICAM TRANQUILLITATEM non secus, ac telum sagittarius ad umbilicum metæ. In prima virtute respexit ad Deum, in posterioribus duabus ad subditos, non dissentiente illustrissimo marito CHRISTIANO I. Electore, qui heres admirabili felicitate omnium bonorum & honorum paternorum aggressus gubernationem publicam publicis rebus magis implicatus erat, & totum reipublicæ corpus curabat nullius partis negligens. Nomen justitiæ passim celebratur, ore omnium usurpatur, in paucorum animo versatur, ejus certam apud suos sedem ipse ponebat: injurias depellebat insolentiorum à modestioribus, potentiorum à tenuioribus, judicia rectè constituebat per omnes penè vicos, forum ipse agebat anno sæpius, quàm quis crederet. Ratione, non manu, legibus, non gladiis, jure, non violentia causas agi jubebat. Nonnulla heroica animi excelsitate, summa auctoritate, singulari prudentia, incredibili pietate, in curiis, judiciis, scholis & academiis emendabat, studio rei militaris se addicebat, equitum, peditum, satellitumque vim magnam alebat, & ut omnia, quæ ad bellicos

bellicos usus per totum Electoratum pertinent, integra & parata essent, providebat. Arces, & alia magnifica adificia partim reparabat, partim ab integro extruebat, cui rei argumento esse potest vel unicum illud & prorsus illustre **QUILE DRESDENSE** tanto principe dignum, ut de aliis substructionibus, quibus **DRESDAM** communiit excitato in sublime vallo, altiùs excavatis fossis, subjectis pilis nihil dicam. Hac cura, hoc studio prorsus indefesso efficiebat, ut vereri eum non modò subditi, sed etiam exteri inciperent. Atq; in his omnibus paterna vestigia persecutus laudem principis boni & fortis meruit, nec quùm hæc faceret, prorsus liberorum suorum educationem neglexit, cetera, quæ ibi desiderari posse videbantur, officia commendans seriò partim illustrissimæ conjugii, partim illustribus, generosis, nobilibus, strenuis morum magistris, reverendis & doctissimis preceptoribus, omni virtutum genere præstantibus, & multiplici doctrina præstantibus viris, qui exemplo, auctoritate, monendo & docendo heroicam liberorum indolem regis virtutibus, & litteris imbuerent, & ipsimet Persarum imitatione sapientissimi, justissimi, temperantissimi, & fortissimi essent. Rectè hoc vestris considerate animis, mei discipuli, quæ dico. Toto cælo errabitis, si vestram, quam hic cogimini ex præscripto legum Electoralium sustinere disciplinam omnibus benevolentia argumentis temperatam cum disciplina principum comparabitis. Longè illorum acrior, longè durior est conditio: vestra lenior, tolerabilior: Non uni magistellulo de trivio arrepto, & plagosissimo Orbilio, homini tetrico & moroso, qui vix scholarum umbracula vidit, aulas nunquam adiit, orbem terrarum non perlustravit, nihil solidi crepare didicit, submituntur, sed pluribus & longè acerrimis vitæ & morum censoribus, qui, quid sit mundus, quid aula, quid imperium, quid disciplina, probè

probè didicerunt, qui pro ipsorum salute & bono in studiis profectu noctes diesq; fideliter excubant, & curant, ut litteris ad virtutem regiam, & scientiam civilem à teneris unguiculis educantur, litteras pueri ament, adolescentes plenius imbibant, matura aetate conservent, & in omni vita domestica atq; publica sequantur & exprimant. Tam graves viri & fide praestantes principum filios in conspectu semper habent. Non licet illis diffluere voluptatibus, non digredi, quò libeat, non oculos quovis flectere: coguntur ad ephorum nutum cibum sumere, loqui, tacere, ludis vacare, litteris operam dare, arma tractare, prodire foràs, domi considerare, somnum capere, itemq; expurgisci. Deniq; prima principum pueritiae nullus dies in ipsorum potestate est, ut vos imo loco nati, o mei discipuli, pra illis beati esse videamini. Hec severior & accuratior principum educandi ratio & regum filiis & universis populis salutis est: nec, quae ita mandante Electore Saxonia in hac perillustri schola aequis administratur legibus, disciplina, & instituendi ratio, vobis est fraudi, sed laudi. Sed ad heroinam SOPHIAM mihi redeundum esse intelligo, quae & ipsa, tanquam mater illustrissima in educanda regia sobole nihil in se officiorum desiderari patiebatur, nullum laborem subterfugiebat, nullam defatigationem declinabat, nullum onus recusabat, sed quotidie in eo tota erat, ut tam qui regebant educationem, quam qui in ea regendi erant, suo officio non deessent, sed in pietatis & humanitatis optimis & laudatissimis disciplinis quotidie proficerent, & ad Remp. cum dignitate, utilitateq; magna gubernandam & administrandam quam aptissimi evaderent, pravaram inclinationum spinis evulsis. Religionis pietatem, quae omnium virtutum fundamentum est, quamq; ipsa optimam & veram a parentibus acceperat, optimamq; & verissimam semper judicaverat, non ipsa solum in omni fortuna, omniq; aetate carissimam, artissimamq; incorruptam

incorruptamente & voce habebat, sed eandem pari fide, industria & felicitate suis liberis sensim instillari severissimè imperabat, nec ferebat in suo gynacéo turbones & erroneos, qui in suspicionem religionis dissentaneæ apud aulam inciderrant. Operas educationis regia nemo interpellare audebat, ut in aulis plerumq; fieri videmus: caverat enim illustrissima mater, ne quis admitteretur, nisi quem ipsa probavisset. Ipsa, ut videretur nulla parte laboris in regia educatione sublevari, sed, illustrissimo marito vi fatorum imperscrutabili erepto, sibi τὸ εἶναι, τὸ περὶ αὐτῶν τὸ παιδεύειν curæ esse maximæ palàm faceret omnibus, nullam diei partem prætermittebat, quin ageret, aut cogitaret, quod ad liberorum ingenium, moresq; perpoliendos faceret, ut eorum animi, quousq; posset fieri, ad virtutem regiam & imperium subigerentur & perficerentur. Multoties inculcabat, scientiam nihil esse sine moribus & pietate, nec mores in sola elegantia, sed in animo sitos: hunc jure fontem rectè factorum & meritorum perhiberi, nec pietatem in ceremoniis, sed in mente defixa in parentem omnium, nec absq; illis existere, quas virtutes morum appellatione notamus. Dabat & exercitiis, quæ etati convenirent, tempus, atq; ita illustrissimi generis liberi bona valetudine ad omnia erant alacriores. Filiabus, & quæ iis præstò esse cogebantur, nobilibus virginibus certa lectionum & precatationum tempora distribuebat, non ad otium, voluptates, delicias & luxum adsuefaciebat, sed assiduis operis & pensis distributis agere aliquid, & honestis laboribus ad œconomias deinceps regendas preparabat, virgines nobiles, quæ in gynacéo aliquandiu modestè servierant, & ancillas etiam pauperes addita dote matrimoniis honestis elocabat, quotidie monens, nullum esse ornamentum sexui muliebri majus, nec ad conciliandum amorem efficacius, quàm pudicitiam, & vera virtutis studium, ut in hanc sententiam venustissimè à sapientibus

E

dictum

dictum est: Non formam, sed mores esse, qui ornent fœmi-
nam. Animadvertibat, hujusmodi operas educandi non peri-
re: proficiebant enim liberi pro captu satis, idq; ante puberta-
tem. Nil quicquam de diligentia sua remittebat, quin eam
perpetuam adhibebat, ut ephori officio sibi credito satisfacere-
rent, nec quicquam admitterent, quod esset liberis offendicu-
lo, nec quenquam intromitterent, qui sinisteriore opinione
teneros fascinaret animos, in quo neq; fidem ultrò datam,
neq; sibi creditos sefellerunt alumnos: qui enim se ingerere,
& intrudere, omnes rumorum ventos aucupari, omnia vesti-
giis odorari, nihil non explorare, nullam non suspicionem com-
movere voluerunt, eos suo merito excluderunt, sic & non ali-
ter disertissimis verbis severissimè imperante hac nostra be-
roina, & cum comminatione sanciente. Tàm sapienter omnia
regiæ educationis officia descripsit, tàm prudenter dispo-
suit, tàm graviter stabilivit. Cur enim dissimulem, quod
me tacente res ipsa loquitur? est enim nimis hoc obvium, fu-
isse eo tempore in aula precipuos consiliarios, qui recto talo
non inceserunt, modò hoc, modò illud in educanda regia sobo-
le emendare voluerunt, pessimis consiliis nova dogmata &
cerimonias introduxerunt, fœda erroris aspergine ecclesias
& scholas polluerunt. His se opposuit nostra, heu olim no-
stra illustrissima SOPHIA incredibili animi robore septa.
Nullius minis illa terrebatur, nullius potentia à religione
Lutherana, ab invariata Augustana Confessione se dimo-
veri patiebatur. Multis cum difficultatibus illa conflicta-
batur, multos illa labores perferebat, multa pericula subi-
bat, ut ne vel tantillum in Misnia & conterminis regioni-
bus de Lutherana religionis integritate minueretur. Pro-
fectò se articulatim prius conscindi, diffringi, ac comminui
passa fuisset, quàm à recta illa regula Lutherana religionis
abduci. Res admiratione dignissima est, quo ea pacto cavere
potuerit,

potuerit, ut limpidissima illa vena, qua à fonte Israëlis in
pectore ipsius scaturiebat, non aliquid vitiosi humoris imbi-
berit, firmato & corroborato animo à recta regiaq; virtu-
tum via in vitiorum avia se precipitem agi passa non fuerit,
si recogitamus, quòd cum ipsis pessimorum consiliorum archi-
tectis aliud lingua prae se ferentibus, aliud animo sentienti-
bus, quotidie conversari, consilia & sermones participare per
tot annos necesse habuerit, nec tamen eorum supercilia &
contaminatos spiritus pertimuerit, sed caelestibus communita
praesidiis cum vitiis & flagitiis dimicationem suscepit,
gloriosamq; ab eis victoriam retulerit, ut nullum omnino vul-
nus inde acceperit. Certè ut juniperus, si oleo perungas, nec
tineas sentit, nec cariem: Ita animus nostrae DIVAE SOPHIAE
semel divini spiritus succo imbutus nullam suam à majoribus
suis acceptae religionis sensit corruptelam, sed eam integram,
salvam, & incorruptam ad extremum usque spiritum reti-
nuit, & suis liberis, adeoq; toti huic provinciae quotidie in-
culcari mandavit. Nequeo exiguis mea eloquentiae rivulis
largiter effundere dolorem, quem capiebat ex contentioni-
bus eorum, qui sacrae religionis interpretes se profitentur:
Nefas enim putabat esse, eos, qui integritate vitae nobis pra-
ire, & nervi sanctae hominum societatis esse debeant, tu-
mentes arrogantia, & acerbitate odiorum flagrantes mutuis
se contumeliis conficere, quemadmodum consueverunt de-
πώλιδες, ut est apud Graecum comicum. Itaq; & diligenter co-
gitabat, & omni studio moliebatur, ut commemorabili dili-
gentia veritas & pax coleretur, aleretur: quo laudem meruit
singularem. Id dicere me nullo adulationis studio, quod ut
mendacium a versor maximè, sed & veritate adductum &
necessaria rerum explicatione facile animadvertitis. Perfecit
laudabiles suos conatus, quantum potuit, atq; in eo hodie per
Dei benedictionem statum est Misnia, ut in universis ditionibus

homines ad piè credendum & sanctè vivendum perpetuò invitentur, & ambitiose inter sacerdotes contentiones exulent, templa facta recta stent. Si eadem via ad meliorem & pacatiorem concordiam hodiè grassarentur, qui in orbe Christiano rerum potiuntur, profectò non ubiq; locorum exitialis illa pestis civilium discordiarum ab infinita regnandi cupiditate profecta dominaretur, sed tranquillius viveremus & sanctius: quæ duo qui homo fit, ipsaq; purissima hominis mens perpetuò & unicè expetit. Pacatior etiam & quietior esset, nisi me animus fallit, communis patria Germania, cui turbata harmonia, suavissimoq; concentu religionis Christianæ, sicut civitati, quod sapientissimus Plato scripsit, musicorum cantibus mutatis fatales imminent immutationes. Sed neq; votis res conficitur, neq; mihi in horum commemoratione diutius immorari nunc licet cogitanti, satis hæc esse sapientibus. Vos, vos, harum terrarum incolæ, quotquot banc terram incolitis, & hoc sub cæli fornice degitis, vos, vos, VIRI MISSNENSES, qui hic adestis non tam corpore, quam animo, vos, vos testes omni fide majores appello. Laudatis, accensas nonnunquam ad religionis incendium faces comprehensas, prolatas, extinctas! Hæc, hæc SOPHIA comprehendit, protulit, extinxit. Laudatis, varias mutata religionis sþingas ex vestris urbibus, pagis, opidis, sine flamma, sine tumultu, sine ferro, sine sanguine exturbatas esse! Hæc heroina exturbavit. Approbatis, unam veram Augustanam confessionem apud vos constabilitam esse! Hæc heroina constabilivit. Gaudetis, Calvinistarum erroneas opiniones ex vestris ecclesiis & gymnasiis explosas esse! Hæc heroina explosit. Gaudetis, ecclesiarum vestrarum, academiæ, scholarum legitimam formam constitutam esse! Hæc, hæc SOPHIA constituit. Gaudetis frementibus partis adversariæ hominibus scholis & æconomiis vestris catechisticam LUTHERI auctoritatem restitutam

tantam esse! Hæc heroina restituit. Gaudetis, multorum animos, qui nutabant, confirmatos! Hæc SOPHIA confirmavit. Applauditis, intestina multorum principum bella extincta nullam vestre patriæ attulisse calamitatem! Hæc extinxit heroina. Applauditis, vestros hortos, vestros agros, vestra prata, vestra prædia pacis moderatione esse tranquillata! Hæc tranquillavit heroina. Quid plura? omnia, quæ in hisce regionibus primario capite spoliatis, & substituendo ab Imperatore Proelectore adhuc carentibus in Rebus pub. in ecclesiis, in academiis, in scholis piè, religiosè, severè, graviter, castè, liberaliter, humaniter gesta sunt, (at quàm multa gesta sunt!) omnia, si rectè vultis ratiocinari, post Deum Opt. Max. uni huic SOPHIÆ BRANDEBURGICÆ accepta referite. O magna vis pietatis, quos tu amoris ignes in iis inflammas, quorum corda tu semel occupasti! O mortaliùm laudatissima SOPHIA BRANDEBURGICA, quæ tam ardentibus amoris & pietatis facibus accensa fuisti! Ut Sol in excelsò cælo mirificum totius hujus pulcherrimi rerum nature & beatri lumen & decus est: ita, ô beatissima SOPHIA, non modò mariti tui corona, sed etiam totius hujus provincie lumen & ornamentum fuisti. Vos iterùm compello, auditores, vos Consules, vos Senatores, vos cives Misnenses jubeo considerare, quàm bono loco sitis, quantum debeatis huic beneficentissimæ heroinæ, quæ liberos suos non tractavit indulgentiùs, quàm quemlibet vestrùm. Sed ita est hominum ingenium: præsentia non sentiunt commoda, quod graviusculum est, cum Ætæna comparant. Ut ad gratum animum matri patriæ vestræ declarandum invitèmini, quaquà velitis, fines hujus provincie potestis egredi, oculos paululùm circumferre, & videre, quæ saltem in BOHEMIA gerantur, vel etiam longiùs progredi. Recurretis subitò, & vos beatos præ istis prædicabitis: nam, quod mihi in promptu est, non faciam, ut aliarum gen-

tium miseras detegam, & explicatis ordinibus temporum vetera simul & recentia vulnera repetendo refricem. Pullulant primulum, crescent tempore, hodiè, proò dolor, vigent, ut unquam, nec qui primulum hanc lucem hoc ipso die aspicit, fortè modum & finem illorum malorum videbit, quod tristis equidem & sollicitè dico, quia metuo: secus ominari pium est, & ipse malim. Hoc non patriæ vestra, sed veritati ultrò largi mini. Ut non solùm alimenta præbens, sed ex incendio hominem eripiens vitam dat: Ita hæc defuncta heroina Diva SOPHIA BRANDEBURGICA non tantùm necessaria supeditans, sed calamitates non unius generis avertens beneficium vobis singulare dedisse existimanda est, si aperte id, quod res est, extincta jam invidia, profiteri velitis.

Hæc VERÆ PIETATIS, hæc COMMUNIS UTILITATIS officia & beneficia longè sunt conspectiora, quàm ut vel atate obrui, vel oblivione memoriæ obliterari, vel tenebris extinguï posse videantur. Laudent alij ob precationis ardorem Juditham Bethuliensem, nos nostram matrem SOPHIAM Brandeburgensem laudare non desinemus, & ipsi parem pietatis impetum minimè præreptum volumus: Nam non solùm hæc, quæ antea commemoravi, sed alia etiam pietatis, fidei, communis utilitatis edidit documenta, quibus sui in vita apud omnes admirationem concitavit, quorum prædicatione non solùm Dresdam, sed exteræ etiam oras attigit, memoriæ nominis sui æternam ac indelebilem peperit: Quod enim nunc referam, unum est instar omnium, vel certè alia plura in se complectitur omnium hoc gentium, omniumq; seculorum prædicatione celebrandum beneficium. Publicam autem verbi divini prædicationem intelligo, quam quia in templum planè devastatum hæc introduxit heroina, summo beneficio homines affecit citra controversiam. Hæc oratio in vulgus non valet: multitudo enim non intelligit vera bona. Sed vos, sapientissimi

tissimi auditores, rectissime judicabitis, ut de opere suo quivis artifex. COENOBIIUM erat DRESDÆ monachorum Franciscanorum, quod per incendium anno Christi millesimo quadringentesimo sexto devastatum, anno verò millesimo quingentesimo trigesimo nono totum sublatum est. Ei contiguum erat templum antiquitate primum, magnitudine amplissimum, in quod AUGUSTUS Elector Saxonie omnis generis frumenta recondidit: FRIDERICUS WILHELMUS verò, qui Electura Saxonica curam ac tutelam ad decennium gessit, SENATU DRESDENSI ita humilime petenti donavit, ut in eo funera nobilium & celebrium hominum sepelirentur. Equidem ab amplissimo SENATU DRESDENSI id renovari ceptum est: hodie verò ab omnibus nuncupatur TEMPLUM DIVÆ SOPHIÆ, non quidem levibus de causis, sed ob singularia & prorsus eximia tam divinæ principis merita: Nam piis hujus defunctæ piæ heroinæ SOPHIÆ auspiciis singulis septimanis ad vocem veræ de Deo doctrinæ in duabus concionibus, una die Dominica, altera die Lune audiendam nunc patet. Clementissima quoque ejusdem provisione, & planè regia nullo unquam tempore tacenda magnificentia, & munificentia ARA EX MARMORE ROCHLICIENSI pulcherrima constructa est arte exquisitissima, qua illud templum magnificè exornatum est. Ex hac templi prorsus collapsi instauratione, atque adeò majoris emolumenti ad memoriam atque exemplum posteritatis insana illa pyramidum substructione perenniore monumento excellens ipsius erga Deum pietas atque religio eluxit, major apparuit majestas, quam in summa potentia & gazis Arabum: Namque & formicæ Indicæ auri montes possidere feruntur, & dracones Africa solitudines occupant, longeque à conspectu suo quicquid est animantium, arcent: nec tamen cogitari potest in iis dignitatis minimum, nedum aliquid divinius. At hoc in publicum hominum usum collatum beneficium

beneficium memoria grata posteritatis aletur, sermonibus
crescet, litterarum monumentis inveterascet, & corroborabi-
bitur perpetuò. Quid? quòd & tertium non minùs laudabile
beneficium addidit: Nam prudentissimo SENATU DRES-
DENSI sumtus ter mille florenorum in renovationem tem-
pli fusos refudit, ita, ut de nominata summa annuis pensioni-
bus quotannis IPSODIE SOPHIÆ ministris ecclesie & scho-
le ad S. Crucem accessionem quandam stipendiorum prabe-
rent. Hoc certè beneficium quis dignis queat amplificare mo-
dis? Ego, tanquam umbratilis orator, non possum ea orna-
menta orationis & lumina ad hanc beneficentiam predican-
dam adhibere, quæ in academica luce collocati, & incredibili
quodam verborum flumine abundantes oratores solent. Dico,
regium hoc esse beneficium, (neq; possunt à principibus tenuia
proficisci) cujus vestigium non est pressum leviter ad exigui
laudem temporis, sed fixum ad memoriam beneficiariorum,
qui eo fruuntur, sempiternam. Certum est & indelebile me-
moriam perpetua monumentum ad ipsam posteritatem, si qua
futura est, transmissum. Perpetuum id est, & erit, donec cæ-
li ille siderumq; complexus gyrationibus suis circumducetur.
Profectò, profectò, auditores, non id ex humano consilio, sed
occulto omninò & cælesti immortalis Dei munere & concessu
profectum est beneficium: Quam enim tanta beneficentia
causam fuisse censetis, auditores? num inanis gloriola aucu-
pium? Non captat bos fumos mens generosa, nec has muscas
Brandenburgensis aquila. Percommode mihi accidit, quod te-
stes in hac urbe habeo hujus beneficii locupletissimos, qui eo
per aliquot annos cum suo insigni fructu usi sunt. Minùs com-
mode, quod dicendo de rebus notissimis nudè loquens vobis
minùs satisfacio: oratio enim mea longè multumq; infra tan-
ta dignitatem beneficentia hæret, tanquam insolita percussa
luce jacet, stupet, verba tam splendido beneficio paria me
deficiunt:

deficiunt: neq; etiam meorum verborum preconium multum desiderare videtur: Nam ut in muliere forma à natura, non à fucò probatur: Sic virtus non à laudatore, sed à suo splendore aestimatur. Quum itaq; heream, neq; satis videam, quid quo ordine eloqui debeam, ipsa tecta, ipsi parietes hujus templi, ipsa subsellia, ipsa laquearia insignibus tanta patronae colucentia tam divinam, tam regiam liberalitatem predicare gestiunt, ac venientibus etiam annis predicabunt. Sit itaq; clara pascendis piis doctoribus vidua Sareptana: sit in hac laude posita Sunamitis: celebretur etiam hac fama Lydia purpuraria. At illis nihil cedit SOPHIA BRANDEBURGICA, quae viva omnibus accepta & grata erat vita integritate, summa vultus ac sermonis comitate, miseris exulibus promptissimo ad opem ferendam animo, siue quis auxilio, siue consilio indigeret, quae nobis omnibus maximarum regiarumq; virtutum imitandum erat exemplum, speculum lucidissimum, omnium, qui in ecclesiis & scholis harum terrarum docemus, arx, portus, praesidium, perfugium.

Satis me dixisse arbitror de SOPHIAE BRANDEBURGICAE egregia pietate ad COMMUNEM UTILITATEM collata. Quae verò par virtuti, de qua adhuc dicendum mihi restat, oratio, quae PUBLICA TRANQUILLITATE, quam impensissimè coluit, digna celebratio mente fingi, vel scripto comprehendere unquam potest? Vehementer optarem, auditores, adesset me longè facundior orator, qui hanc virtutem non leviter, aut rudi penicillo adumbraret, sed suis coloribus omni arte expingeret, ac in illustri quadam tabula contemplandam proponeret. Sed in hoc publico luctu omnem orationis splendorem repudiante de verborum comitu non magnoperè laborabo, sed de veritate factorum cogitabo: Nusquàm enim virum bonum aliud decet, quàm veritas: adulatoris est & mancipij, ut aut placeas, aut quæstum facias. Nondum

trigesimum annum compleverat illustrissimus maritus Ele-
ctor CHRISTIANUS I. cum fabulam quidam Sinones age-
re cœperunt: inquietabant enim ecclesiam, urgebant exor-
cismi in Baptismo abrogationem, quo ipsi tamen baptizati
erant sine ulla impietate, fœdabant opinionum turpissimis
commentis sanctissimam religionem, stercora suarum super-
stitutionum venditabant, & quicquid in cultibus divinis pote-
rant, corrumpabant, mutilabant. Subdolè & tectè omnia
tentabant, nec facilè eorum technas ipse princeps olfaciebat
perpetuis rei equestris, & civilium negociorum curis occupa-
tus & districtus. Obstabat eorum cogitatis furoribus nemo
præter hanc nostram heroinam incredibili animi magnitudi-
ne, quæ sola poterat obstare. Vix dum obductas cicatrices nolo
refricare, ideoq; plura, quæ memorari poterant, missa facio in
presentia, in quibus mirum in modum se mea jactare posset
oratio. Relatu quidem haud indigna essent propter animos
scholasticæ juventutis præmuniendos, propter infringendas
multiplices calumnias in tam innocentissimum, tot virtu-
tum ornamentis coruscantem principem ab insulsa & insipi-
da malevolentia & nequitia jactas, quibus à summa virtute
satisfactum nunquam fuit. Interim dum hic ludus luditur,
illustrissimus maritus RE ET NOMINE CHRISTIA-
NUS I. ELECTOR SAXONIÆ, quo cum annos novem cum
dimidio, & hunc quidem non integrum conjunctissimè vixe-
rat, quemq; adeo carum habebat, ut, si licuisset, ejus vitam sua
redemisset, in ipso flore ætatis, in ipso laudatissime guberna-
tionis principio, in medio rerum maximarum conatu, fatis
ita propter peccata nostra urgentibus, annum agens trigesi-
mum primum, die Septembris vigesimo quinto, anni reparata
hominum salutis millesimi quingentesimi nonagesimi primi
acerba atq; immatura morte ipsi eripitur, & tanta tanti prin-
cipis virtus immortalitate digna segregata ab hac concretionem
mortali

mortali ad vitam illam sempiternam ac beatam evolat. O incerta vota, & ancipitia humana vitæ curricula! ô fallaces hominum spes! ô lubricas & inconstantes hominum cogitationes! ô vitæ humana ludibria! Cum eximia in manibus habere bona arbitramur, cum nos iis frui posse quàm diutissimè speramus, citissimè, & in media voluptate & letitia nos deserunt omnibus sensibus vivantes & imminentes. Quis nostrum dubitet, auditores, quin tantum animo conceperit dolorem, quantum possumus cogitare maximum? Miserabiles animi motus non repressit, erumpentem fletum non cohibuit, singultus non coërcuit, sed maritum defunctum ardentissimis votis prosecuta est. In cubiculum suum se repente abdidit, vitæ humana inconstantiam deploravit, deniq; exanimata dolore, mœrore perdita, vestimenta mutavit, lugubres sordes induit. Humana ista sunt & usitata, quæ qui facit, nullam humanitatem exuit, nec in brutorum naturam transit.

Dura mediisfidius fortuna harum terrarum & crudelis videbatur, quæ tam miti, tam equo, tam salutari, tam pacato, tam tranquillo, tam magnanimo, tam excelso spoliata per mortem erat principe, & patrono incomparabili. Nemo erat in his terris conturbatiore & tristiore animo, quàm hec heroina SOPHIA BRANDEBURGICA. Multi levissimi animi homines exclamabant id temporis, mortales videri umbra somnium, rectè cum foliis comparari, quæ ex arboribus autumno levi impulsu vel marcida spontè defluerent, everti, qui firmissimè consistere putarentur instar muscæ in ipso volatu. Sed nihil erat hac mortaliū laudatissima fœmina calamitosius, nihil infelicius, nihil miserius, nihil tristiū, quæ maritum, principem eximium, id est, plus quàm seipsam amiserat: amiserant enim generosissimi liberi parentem carissimum, agnati principes amicum summum, cives & subditi defensorem acerrimum. Non itaq; cum levi vulgo hoc Ovidianum ingeminabat:

F e

Tendimus

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam:

Omnia sub leges mors vocat atra suas:

Sed paulò limatiùs tam miserabilem casum considerabat, paulò acerbiùs deplorabat, sinistri aliquid ominari presagiebat, communi rerum vicissitudine illum non metiebatur. Sape verò cogito, heròum illustres motus, quibus imperia ipsi condiderunt, & incredibiles rebus publicis felicitates attulerunt, caelestes omninò ac divinos fuisse, res etiam ab ipsis gestas elato & magno animo excellenter & fortiter à majori quodam numine gubernari. Credo etiam mentem RUDOLPHI II. Romanorum Imperatoris invictissimi caeleste & sanctum numen impulisse, ut permotus fortuna Saxonica acerbitate sub recenti luctus presentis memoria ad viduatam caro marito heroinam nostram legatum mitteret mitigatum & lenitum quodammodò dolores ex haud expectata mariti morte conceptos. Egregiè & fortiter is consolabatur defunctam jam SOPHIAM. Agebat Caesarea majestatis legatus presente patre vidua, inclyti generis principe, JOANNE GEORGIO, Marchione & Electore Brandenburgico, qui impuberes adhuc & orbos factos tenellos principes, nepotes suos, tanquam avus, manibus prebensos secum ducebat, eosq; Caesarea majestati, tanquam supremo tutori, constitutoq; divinitùs sacri Romani Imperij capiti subjectissimè commendabat. Agebat, ut Olympii montis cacumen altius est, quàm ut id ventorum flabra contingant: Sic Imperatorem RUDOLPHUM II. excelsiorem fore, quàm ut ira, ambitione Sinonum aulicorum, tanquam flatibus, posset permoveri, se pestes istas pessundaturum, aras conservaturum, belluas extirpaturum, relictos liberos orphanos paternae virtutis amulos, participes gloria & felicitatis majoris heredes in suam tutelam suscepturum, ut & iis & toti regioni principe suo orbata benè esset, tutores ex cognatis

cognatis proceribus Imperij Romani electurum, ut è tam altis adversa fortuna fluctibus in quietum felicemq; portum emergeret, quod & harum terrarum summo bono fecit: Nam tetra illa natio perditorum ac profligatorum hominum, qua fraudibus ac mendaciis suis nuper de calvo cœlo delapsa, & sibi soli patefacta veritatis nomen obtendebat, & cupiditates suas ad verbum Dei dirigere volebat, suo magno cum detrimento sensit, quod minutorum istorum animalculorum, que PAPILIONES Romana vocat curia, indolem induerit. Sicut enim illi vespere lucernæ lumen itentidem circumvolitant, donec amburantur: Sic istorum in tenebris versantium vagamens per curiosam curam lasciviit circa arcanam divinorum mysteriorum flammam, suo merito interiit, dedecus, opprobrium, perniciem sibi peperit. Sic, sic severa augustissimi RUDOLPHI II. majestas illius hydra, & in suam & aliorum perniciem contumacis assidue renascentia capita amputavit, regiones has tetra ista impurorum hominum colluvione purgavit, acrioribus remediis eorum libidinem, & audaciam frenavit. Discite, auditores, discite ex hoc tragico vite exitu, etiam sapientissimos, qui primi omnium in consiliis esse volunt, errare, labi, decipi: consilia callida & audacia prima quidem specie esse lata, sed tractatu dura, eventu tristia. Sic, sic decreverat justitia, ut ipse Imperator, qui esset in omne genus hominum quàm lenissimus, idem se, cum res ita flagitaret, se exhiberet severissimum. Idem CHRISTIANUS I. Elect. Sax. deprehensa ista perfidia fecisset, si vita sator æternus Deus longiorem ipsi bujus lucis usuram concessisset. Interim verò illustrissima & serenissima SOPHIA BRANDEBURGICA flere, lugere, dolere obitum mariti eò vehementiùs, quò acerbius is humi mandatus ab impia curiositate accusabatur, ut qui limites sui muneris migrasset, nec solum in ecclesia quadem turbasset, sed etiam magna audacia, & incredibili

credibili calliditate innovasset. Hi rumusculi spargebantur
passim per opida, & plures provincias sermunculis, epistolis,
libellis, quibus non solum vulgus concitari, sed etiam viros
principes moveri credibile erat. Qui principem bene norant
inde usque à prima adolescentia ad optima quaeque natum, tali-
bus susurris fidem non adhibebant: qui tamen erant curiosu-
li, & affectibus trahebantur, suspiciones alias atque alias ani-
mo concipiebant, modò principem magna ex parte excusa-
bant, modò eundem improbis artibus circumveniri indignè
ferebant: consuevit enim Satanas dolis involvere principum
animos. Falsò cum insigni illustrissimi sui nominis contume-
lia nominatim differebatur, tanquam presultor, patronus
& defensor impie & calvae choreae. Occasionem hanc pro ma-
rito, pro liberis, pro se denique ipsa dicendi non negligendam
sibi putavit, & conversis ad fideles terrae oculis, adhibita
opera aulici sui protecclesiasta D. POLYCARPI LYSERI,
hospitis & preceptoris mei desideratissimi, Calvinistarum
technas prostravit, existimationem sui illustrissimi mariti
à calumniis vindicavit scripto publicè edito continente bre-
vem quidem, at veram ac fidam narrationem de vita atque
obitu ejusdem, cujus tam immota est veritas, ut nullius ma-
chinis, aut cujusquam ingenio, aut arte possit subverti.
Nemo bonus potest sine gemitu eorum temporum recordari,
multò minùs mirari, quod & hoc factum in laudibus heroinae
nostrae ponam: magni enim refert in viro principe, non so-
lùm ipsum vacare à culpa, sed etiam conjugem habere, è cu-
jus virtutibus multum laudis redundet ad ipsum. Certè hoc
unico factò inviolabilem in matrimonio fidem defuncto ma-
rito insigniter declaravit. Et quis vestrùm neget, eam in
quotidianis innovationibus, & horrendis regnorum ac im-
periorum dilacerationibus publice semper studuisse tranquil-
litati? Rem profectò maximè omnium salutarem atque utilem
expedit

expedit hac una salebra serenissimum sui mariti nomen aspe-
rari, hoc fumo, hac nebula infici oblesâ fœdè conscientia non
ferens ob insignem animi pietatem, non patiens ob pacis
conciliandæ veterem consuetudinem, non ferens ob publicæ
tranquillitatis amorem. Res profectò tanta est, ut cum ipsis
victoriis domus Saxonie possit comparari. Quantum enim
SOPHIA BRANDEBURGICA animo conniti potuit & con-
tendere, tantum fecit, ut dispulsis calumniarum & menda-
ciorum tenebris serenissima lux illustrissimo mariti nomini
oriretur, veritas discussis mendaciis in clara luce locaretur.
Pluribus hanc demonstratum irem virtutem, quam com-
munem appellavi tranquillitatem. Sed mihi ante oculos ob-
versatur confessus vester, & temporis æqua ratio, quorum
non ignarus ego virtutes mortalium gloriosissima nostræ
heroïna saltem tangere, non exponere constitui, ne, quæ di-
cat ipse, qui post me peroraturus est, sive in hac illustri Mi-
snensi, sive in utraq; academia Lipsiensi & Witebergensi am-
pla hæc illi orationis capita præripiam, nec vos, æquissimi ac
humanissimi auditores, diutiùs fortè justo detineam. Nunc
me moriens heroïna ad se rapit, & cursum orationis meæ ab-
sorbet.

Satis & plus satis, auditores SOPHIAM BRANDE-
BURGICAM vobis, non ut volebam, sed ut poteram exhibui
vobis NASCENTEM & LABORANTEM, COGNOSCI-
TE eandem quoq; MORIENTEM, sed cum temporis haud
multi dispendio, breviter, carptim, cursim, saltuatim, ne hac
vestra tanta in me audiendo patientia videar abuti: Multa
enim hic mihi sunt omittenda, quæ tùm explicari diffusè atq;
magnificè, tùm audiri possent, quamvis in tristi & funebri
argumento, jucundè. Nec dubito, quùm tanto favore vestro,
quasi secundis ventis, hætenùs sic delata oratio mea, quin,
quod porro dicturus sum, uno conspirante consensu attentè
sitis

fitis audituri: nec enim longius, quàm velitis, mea excurret oratio. Persentiscens inclyta heroina circumvecto ætatis sue gnomone se horologij umbram, aut certè mortis punctum fermè attigisse viribus corporis magis magisque languescentibus indies, ac deficientibus, nullum infirmioris animi signum edere unquam visa fuit, nullo rerum humanarum desiderio visa fuit affici, eadem maximè vilia putavit, que semper excelsò animo contemserat. Itaq; maturè ad exitum patienter se paravit, neq; quidquam eorum neglexit, que transigenda erant sapienti & pia principi. Semet ab aulicorum frequentia, à negotiis, à curis aliis omnibus secrevit, ut quicquid reliqui esset temporis, id liberiùs totum piis cogitationibus, verbi divini auscultationi & meditationi, nec non usitatis in templo cerimoniis, dicare, stare & manere in quadam quasi precationum assiduarum vigilia posset. Nullum equidem diem vacuum à meditatione sacra prætermisit, que & ipsa volumen justæ magnitudinis dictorum è sacris litteris collegerat, è quo hauriret quotidie vel aliquid solatij in malis rebus, vel consilij in perplexis, vel doctrine ad agendum. Hac in re non solum nostram privatorum, sed & plurium sacerdotum diligentiam superavit. Post graviùs affligente valetudine, urgente morbo, ætate mediocriter confecta omnium gravissimo dolore decumbere cœpit, atq; ut toto vitæ suæ tempore, ita etiam in morbo de CHRISTO suo pro senato, resuscitato, & de ejus in se, adeoq; omnes mortales beneficiis ita præclarè multis verbis disseruit, ut astantibus pietatem, illustrissimæ nurui, nepotibus misericordiam ac fletum moveret. Sapiùs meminuit absentis unici filij illustrissimi nostri Electoris, sapiùs compellavit illustrissimam nurum, sapiùs generosissimos nepotes, in quibus vel sui partem, vel se hic quodammodo relinqueret. Illis, ut in severissima vitæ disciplina marum facilitatem & comitatem retinerent, mandavit, multa
etiam

etiam de perturbato Romani Imperij Statu memoravit. Mor-
bus per litteras filio JOANNI GEORGIO Electori nostro est
significatus, qui advolavit celerrimè, sed presenti presens
nihil commendare potuit. Atq; ita demum a quo animo a ca-
ducis rebus rejecto, ad caelestes erecto diligentissimè & accu-
ratissimè ad mortem se preparavit, neq; se humana conditio-
ne exemit: edita namq; sua confessione apud Deum, & verbi
ejus ministrum, animo perpurgato ac delictis soluto, corporis
& sanguinis Christi esca per necessaria ad illud iter extremum
in caelestem patriam conficiendum magna cum animi submis-
sione, ac divinae majestatis veneratione iterum iterumq; se re-
fecit cautorum viatorum exemplo: Sicut enim hi in viam be-
stias venenatis obsessam se daturi gemmas quasdam secum
portare solent, quarum virtute venena à se propulsent: Ita
SOPHIA BRANDEBURGICA, princeps cautissima, ad
beatam illam regionem iter factura, quò tutior esset à serpen-
te antiquo, qui aliàs quasi delitescens tunc emergere exerta
lingua, cristis erectis, squamis horrentibus, spiris innumeris,
& aggredi homines maximè solet ad hoc postremum iter ac-
cinctos, preciosissimam Jaspidem CHRISTUM JESUM non
digito gestavit, aut de collo suspendit, sed cordi ipsum affixum
tenuit, quo etiam ita recreata est, ut futuri gaudij spe presen-
tes cruciatus aspernaretur, & prorsus nihili faceret. Ergo
tam sacro, tam forti, tam valido instructa viatico Sacramen-
ti JESU CHRISTI, caelesti illo amuleto firmata & rectè mu-
nita cum ingenti fiducia misericordiae divinae, & spe certa fe-
licitatis perpetuae placidè sine ulla commotione, sine ullo dolo-
ris & angoris sensu satura vita, satura gloria obiit, id est, ad
theatrum illud beatorum splendidum, ac regnum animarum
coeleste ac gloriosum abiit VII. die Decembris anno jam elapso
supra millesimum sexcentimum vigesimo secundo paulò post
decimam horam vespertinam, cujus memoria mihi pectus
effodit,

G

effodit,

effodit, & quasi morsu quodam animum meum stimulat ac
pungit. Quid lacrymarum ibi putatis profusum, auditores?
quem fletum, luctum, & ejulatum, quem ploratum, dolorem,
gemitum, quem mœrorem fuisse putatis, auditores? Attesten-
tur cum, qui viderunt, qui adfuerunt. Discessit ita gloriose,
piè, sanctèq; mortalium heroinarum laudatissima & glorio-
sissima DOMINA SOPHIA BRANDEBURGICA nostro
omnium summo detrimento, suo verò maximo commodo, no-
stro tristi desiderio, suo inexplebili gaudio, nostro infelici
tempore, sua aeterna beatitudine. Quanta animi tranquilli-
tate omni perturbatione carente mortem tulerit, seq; à sum-
mo Imperatore de statione & presidio hujus vitæ deduci passa
sit, testabuntur hi, quorum lacrymæ & preces extremum ejus
spiritum, ac beatissimam potiùs animam ex his corporis com-
pedibus in aeternam patriam remigrantem cum maximo luctu
sunt profecuta.

Esaias propheta inquit: Justus perit, & non est, qui re-
cogitet in corde suo, & viri misericordie colliguntur, & non
est, qui intelligat: à facie malitie collectus est justus. Non
credo quemquam vestrum esse, optimi auditores, quin in-
telligat, quid hæc verba prophetae sibi velint, scilicet heroicis
fatis omen inesse, & ut Ambrosius ait, futurae labis & cladis
hoc primum indicium esse, si decedant viri consulares, vel
etiam graviores fœmina. Exemplis rem probare manifesta-
riam baud est necesse, quæ mihi colligere laboriosum, vobis te-
diosum foret audire: ἔδειξεν γὰρ τὸ εἶργειν ἄγγελον κακῶν ἐπιῶν,
ut ait Tragicus pœta. Meministis ex sacris litteris, quid
mortuo Josaphato, Josia, Salomone factum sit: memini-
stis ex profanis & politicis, quid mortuo Theodosio Impe-
ratore Constantinopolitano, mortuo Augustino, Luthero,
Joanne Hunniade, & Matthia regibus: meministis quid de-
functis Friderico III, & Maximiliano Imperatoribus ge-
stum

stum sit. Heroinarum illustrissima SOPHIA malis omnibus
subrepta, ad vitæ exitum probè comparata, secunda animi & la-
ta ex hoc undoso immundi hujus mundi ac procelloso equore,
ex diuturna velut jactatione ad optatum sempiternæ felici-
tatis portum se recepit: nos verò infelices & miseros in hoc
calamitoso exilio adhuc immensis malis obruendos propter
peccata nostra reliquit. Nos, nos, nos, dico, qui in maximo
acerbissimoq; luctu vitam ducimus dicamne, an trahimus?
nos ad gliscentia ubiq; terrarum bella cohorrescimus, quæ uti-
nam essent ejusmodi, ut vanis imperiti, & ne cælum ruat
metuentis rectoris scholastici querimoniis consumpta non ali-
quando eventu ipso comprobarentur, sed, ô dolor! ô anxietas!
eorum miserabili incendio omnes terrarum ora distributis im-
periis deflagraturæ videntur. Meritò igitur nos ad ipsos du-
cum & regum hostiles concursus toti expavescimus, ingemi-
scimus tandem tandem animis ipsis ob justum dolorem & me-
tum futurorum ingentium malorum collapsuri: Tragediæ
enim hodiè in media agitantur Germania, ad quas scribendas
opus erit novo Æschylo, si is poterit in hac ingruente barbarie
inveniri. Pax rerum exoptatissima inane hodiè nomen est:
Nam occupatis omnium animis intestino bello, quamvis tam
equis conditionibus constituta, tot sanctissimis affinitatibus
stabilita, tot à Deo precibus omnium gentium & votis impe-
trata leditur, rumpitur, frangitur. Ad bella spectant omni-
um consilia, nihil est propius, quàm ut res ferro decernatur,
agris vastitas, mœnibus excisio, rectoris inflammatio, regnis
eversio inferatur. Ne igitur miremini, si aula, si templi parie-
tes nigricantes, qui alias purpurare solent belluatis tapetibus,
& aliis operibus magnificè depictis, si subsellia, quæ alias au-
lais & peristromatis insolescere quasi, ac superbire solent,
nunc nudata, nunc suis ornamentis spoliata, nunc pullis &
lugubribus quasi vestibus induta cernitis. Ne miremini, si

lacrymas aspiciatis, si ejulationes, si gemitus, si creberrimos
singultus auditis. Ne miremini, si DRESDE lacrymis oculi
omnium civium madeant. Ne miremini, si FRIBERGÆ
omnia planctibus, gemitibusq; circumsonent. Ne miremini, si
ubiq; in his provinciis querela & lamentationes exaudiantur,
campane in omnibus quaquà versum templis pulsentur fera-
lem & lugubrem prorsus sonum edentes. Ne miremini, si tym-
pana, si cymbala, si cithara, si tuba, si tibia, si deniq; omnia
instrumenta musica conticescant. Illustrissima vidua Saxo-
nica, SOPHIÆ BRANDEBURGICÆ mortem a quo animo
nemo fert: moeret omnis aetas atq; sexus, squalent universae
civitates, lugent consules & Senatores, omnia sunt confecta
senio, jacent in luctu rustici, affliantur ecclesie & scholae,
flent viduae & pupilli, omnes inopes, agri & impotentes pro-
fluentibus lacrymis plorant, omnes via planctu & ejulatu
personant, agri deniq; ipsi tam beneficam, tam salutarem, tam
mansuetam principem desiderant, quin & ipsa muta & ina-
nia saxa eam requirunt, & si fieri posset, postulant. Ne mi-
remini, si ipsum nostrum Electorem, ejus conjugem, suavissi-
mos liberos, totum splendidum gynacœum, illustres legatos,
nobilissimos equites, ac proceres autem reliquos squalidos
omnes, & dolorem gemitu publico significantes contuemini:
Etenim si motus natura generosiores animis potentiorum im-
pressit, hi sub publico regni luctu, cum dolent ubiq; inferiores
animi magnitudine invicta & mentis molestia omni excussa
viris praeclaris & illustribus ostendendi sunt. Ostensi sunt pro-
fectò tot jam non solum elapsis septimanis, sed etiam hoc ipso
die, quo heroinarum illustrissima justa persolvimus. Movent
vos, video auditores, movent vos voces permultorum que-
rule, lamentationes continuae, ejulationes perpetuae: iis tam
caricapitis obitum lugendo quasi indicis haud obscuris decla-
rant, quàm verè, quàm ardentè defunctam principem di-
lexerint.

Vexerint. Mentione mortis profectò cor mihi & cerebrum li-
quescit, ideoq; præ voce singultante & verbis semesis vix hoc
possum deplorare, quòd me fata in hunc usq; diem reservà-
runt, quo cogor in hac illustri schola esse publicus praco & in-
terpres calamitosi luctus tanta principis, & voce mea ebuc-
cinare, non quidem more ethnicorum: ILLA LETHO data
est, sed Christianorum, & quidem subditorum: DESIIT,
DESIIT VIVERE, quam diutiùs vivere omnibus optaba-
mus votis, DESIIT, DESIIT vivere SOPHIA BRANDE-
BURGICA, alma harum terrarum mater, religionis Luthe-
rane, id est, verè Christiana constantissima assertrix, imò
vindicatix, non sine maximo Reip. dispendio, non sine pru-
dentiorum metu & trepidatione. EXEQVIAS ITE: JAM
TEMPUS EST VOBIS OMNIBUS COMMODUM.

At tu optima princeps, quæ fato tuo functa ex hujus ca-
duca & tumultuaria vita, sive perpetui exilij calamitatibus
in quietem cœlestis patriæ migrasti, mare hujus immundi
mundi enavigasti, & provecta es in beatum illum portum, ad
quem velis remisq; tendimus omnes, ubi fidei remoto & de-
tracto velo, acie mentis æterno lumine illustrata, cum incre-
dibili gaudio presentem regem illum regum, ac dominum do-
minantium, qui delectabilis est ad intuendum, suavis ad ha-
bendum, dulcis ad perfruendum, imò cum fidelium sancta
aggregatione intueris, & horum suavissima conversatione,
dulciq; interlocutione beatissimi mariti, carissimorum libe-
rorum, quos premisisti, felix & in perpetuum sancta recrea-
ris, ubi sine ullo sine temporis, sine ætatis meta, sine durationis
termino tantum gaudes, quantum amas, tantum amas, quan-
tum cognoscis, tantum cognoscis, quantum beatis angelis &
hominibus cognoscendum exhibet ipse Deus, quem in hac vita
sine fastidio à te dilectum non per speculum in enigmate, sed
coràm à facie ad faciem cernis latos agens & canens trium-
phos,

phos, SALVE ET VALE, quidem aliud dicam, quam illud
Romanorum, SALVE, & iterum atq; iterum SALVE ET
VALE, heroinarum beatissima, fœmina digna illis, quas aurea
condidit ætas: NOS TE ORDINE, QVO NATURA PER-
MISERIT, SEQUEMUR, vel illud sacrarum litterarum:
SIT ANIMA DOMINÆ MEÆ CUSTODITA QVASI
INFASCICULO VIVENTIUM APUD DOMINUM DE-
UM NOSTRUM, ut venustissima nobilissima matrone Abi-
gaëlis pbrasi ex gynacéo benè morato sumta utar. Jam sepul-
chralibus monumentis Ducum & Electorum Saxonia ritū
principibus usitato, frequentissimo conventu, publico luctu
illata, apposita, locata dormi, ad latera mariti & liberorum
quiescens, ô beatissima princeps, diem illum restitutionis
omnium dormitabunda prestolare, qua, sic cœlestis illa tuba
signum receptui dederit, & post desitum hujus mundi sche-
ma profectionem ad supremam illam aulam indixerit, tuis
è latebris & ipsa prodi, & cœlo recepta omnium expers labo-
rum sempiterna beatitudine, cujus felicitates nemo unquam
mortalium suis est affecutus cogitationibus, nemo oculis ac-
cepit, nemo auribus hausit, perfruere. Hoc ultimo voto si-
gnans & obsignans sepulchrum tuum te hac mea voce, si ea
ad te pervenire potest, acclamo: O schola hujus MISNEN-
SIS amantissima princeps, cui libros tam græcè, quàm lati-
nè editos grandi quidem impendio, sine ullo tamen rerum
tuarum dispendio, magno schola compendio, dono mittere so-
lebas, omni animi mei contentione te rogo, ut hoc postremum
officium, quod tuis nulla unquam oblivione delendis prome-
ritis pro exiguo mei ingenioli modulo persolvo, equitate ani-
mi summa desinias. Majora quidem & ampliora debebam
volebam, sed impar voluntati facultas erat, quam mihi dolo-
ris vis detraxit, qua frangere ac debilitare exercitatissimos
potest animos.

Sed

*Sed illustrissime & Serenissime Elector ac Domine,
Domine JOANNES GEORGI, evergeta clementissime, glo-
riosissima Domina MAGDALENA SIBYLLA, vosq; illu-
strissimi generis illustrissimi liberi, nepotes & neptes, vos illu-
stres legati, vos equites nobilissimi, vos proceres aulae reliqui
videte, videte, quaso, ne humi jam mandata heroina oblatam
gloriam immodica aegritudine contaminetis, aut nimia exu-
latione obteratis. Non mortua est, sed vivit, vivit adhuc,
& vivet vitam aequitriplicem, in Deo, in se, in vobis. IN
DEO, qui nunc vita ipsius est: Verè enim non moritur, qui
tam sanctè moritur: talis enim vitae exitus est melioris vitae
aditus: verè preciosa in conspectu Domini mors sanctorum,
quorum civitas in caelo est, quò cum veniunt, tunc denique
vivere incipiunt, quia ibi finis laborum, victoria consum-
matio, vitae janua, & perfecta securitatis ingressio. Incolit
jam illud domicitium, ubi sanitas sine agrotatione, pulchritu-
do sine labe, ubertas sine inopia, securitas sine metu, satu-
ritas sine fastidio, serenitas sine nube, aternitas sine fine.
Habitat in domo Domini, quam cupiit, quam desideravit,
quam requisivit, quam omnibus totius terrarum orbis altis-
simis, amplissimis, magnificis adibus, palatiis regalibus pra-
optavit. IN SE, quia jam omne mortale deposuit, mala hu-
jus mundi cum bono summo & eminentissimo, terrenas opes
cum caelestibus, miseras cum felicitate, dolores cum volu-
ptate, labores cum pace, vitae fragilitatem cum anima im-
mortalitatè, adeoq; mundum cum caelo permutavit, mortem
cum vita, ubi jam melior ejus pars non inter mortales, sed im-
mortales summa est cumulata gloria, ubi illam immortalita-
tis coronam, quam sibi repositam toto animo confidit, è manu
supremi α γ ω ν ο ς JESU CHRISTI accipit caelestibus gem-
mis radiantem. IN VOBIS, quia in vestro animo vivit,
& vivet donec fores vestri pectoris virtuti & honestati
patebunt,*

Sed

patebunt, id est, semper. Vivet in liberis & nepotibus, quos post se reliquit. Vivet in subditorum animis, qui ejus memoriam summa cum benevolentia, maximoque desiderio conservabunt. Vivet in luculentissimis beneficiis, quibus Remp. auxit, ecclesias stabilivit, scholas ditavit, & hasce provincias florentiores reddidit. Vivet in sacris Theologorum concionibus, academicorum professorum lectionibus, annuis parentationibus. Vivet in litterarum monumentis, quae & ipsius virtutes immortalitati nunquam desitura consecrabit. Quod quum ita sit, nihil cause habetis, ob quam querelas pangentes, lacrymas profundentes dolori vehementius indulgeatis, animum perpetuo luctu fatigatis, maceratis, torqueatis, crucietis. Vestri in primis muneris est, serenissimi serenissimaeque principes, cautè providere, ne veris gubernatoribus hæc careant regiones. Metuendum autem, si immodicis lamentationibus vos excarnificetis, ne vobis morbum aliquem accersatis, qui in nostra se exoneraret capita. Quapropter, quantum potestis, à luctu abstinete, & pia anima partam gloriam non invidete. Nullo unquam tempore, nec lacrymis, nec ploratu, nec animi cruciatu recuperari potest. Memoriam virtutis ejus & meritorum sanctè conservare studete, quod & alii viri eloquentia prestantes, rerumque humanarum equi censes facient, neque non mei discipuli, qui sacris Musarum profundius initiati sunt, aliquam symbolam in laudes de pietate, de litteris, de multis mortalium benè merite DIVÆ SOPHIÆ referent, ut omnes sentiatis, Musis illustris vestra SCHOLÆ MISNENSIS nihil esse gratius, nihil sanctius.

Orbatae sunt, fateor, orbatae sunt, optimi auditores, hæc provincia maximo ornamento, incomparabili adjumento, desiderabili subsidio, eamque jacturam fecerunt, quam fortassis nullis posthac seculis reparare possint. Sed omnibus in rebus divine voluntati acquiescendum, illi non temerè, neque superbe

superbè resistendum est. Nihil est in humanis rebus firmum,
nihil stabile, nihil diuturnum. Nemo usquam gentium, aut
ullo unquam tempore repertus, qui ultra fatalem terminum
ævi sui fines potuerit producere. Neq; alia hic divitum, alia
pauperum, alia nobilium, alia ignobilium, alia litteratorum,
alia illitteratorum conditio, sed in omnes æquè dominium est
mortis. Nemini exploratum est, an ad vesperam usq; victu-
rus sit, multoq; minùs quisquam sibi crastinum diem potest pol-
liceri. Natura nobis vitæ usuram dedit tanquam pecuniæ,
nulla præstituta die, ut illam quandocunq; repetat, ea de re
nemo jure conqueri possit. Terra nobis non pro domicilio, sed
pro diversorio data. Hæc, quæ vitæ dicitur, non tam vitæ est,
quàm iter ad vitam. In cælo, non in terra, nobis omnis spes
defigenda ac collocanda, in quo nostrum est πολιτεία. Id
jam consecuta heroinæ æquè omnes nescii, ut poëta ait, fati
sortisq; futuræ sanctæ memoriæ principi gratulemur, & no-
stram vicem doleamus meritò, qui optimam principem, adeoq;
communem patriæ nostræ matrem amiserimus, magnam in
divina clementia spem ponamus, quæ bona interdum homini-
bus adimit, ut reddat meliora: mœrorem, in quo sumus, re-
levemus eo bono, quod superest, id est, ipso illustrissimo JO-
ANNE GEORGIO, qui omnium votis expetitus, divino con-
silio electus hodiè nobis imperat, & ut speramus, ac cupimus,
diutissimè ac felicissimè imperabit. Nil nobis est optabilius,
quàm ut diu vivat, & valeat, & æquè optabile Germaniæ
universæ. Is nil unquam prius aut antiquius habebit conser-
vatione Lutheranae religionis, ex qua rectè conservata bona
fluunt omnia, quæ neglecta collabuntur, ac concidunt omnia.
Is ingentem virtute sua cumulum ad majorum suorum glo-
riam additurus pro regia sua virtute, ac prudentia videbit,
ut non minùs, quàm antè otio fruamur, pacatè vivamus,
vitæ commodis abundemus, officia nostra in omnibus vitæ
partibus

H

partibus

partibus colamus, non simulato cultu cælestis numinis majestatem veneremur. Non dubito, optimi auditores, quin hæc eventura sint omnia, si à vitiis nostris averfi, quæ Dei placandi certissima ratio est, tota mente ad Deum convertamur nostris animis banc sempiternam curam insigentes, ut, quæ in hac funebri laudatione audivimus, & probavimus, ea in omni vita nostra amore pietatis inflammati, studio virtutis incensi, quasi stimulis beneficiorum, quæ accepimus, excitati desiderio videndi Dei, atq; omnium cælestium estuantes re ipsa præstemus, divinumq; numen assidue obsecremus, ut iram suam compefcant, & omnia nostris cervicibus imminencia mala fortiter dispellat. Agite ergo, agite, optimi auditores, jucunda virtutum & beatitudinum Divæ SOPHIÆ BRANDEBURGICÆ recordatione, & grata rerum gestarum, beneficiorumq; commemoratione sepultos ipsius manes cõonestate, & sic mecum in hoc illustri GYMNASIO MISNENSI omni animorum contentione pro salute illustrissimi nostri Electoris, ejus provinciarum, ecclesiarum, scholarum supplices Deum rogate. Hoc à vobis peto pro mea tenuitate submissius, pro vestra gravitate verecundius, pro amore, quem omnibus debeo, studiosius, pro magnitudine periculorum, in quibus sunt res nostra, vehementius. Sancte & aterne Deus, Stator & fundator omnium regnorum & imperiorum ad te demissis, atq; utinam ab omni labe puris animis accedimus. Tibi JOANNEM GEORGIUM Electorem Saxonie, clementissimum nostrum nutricium, defunctæ heroinæ unicum filium adhuc superstitem, tibi MAGDALENAM SIBYLLAM, suavissimam ejusdem conjugem, tibi generis illustrissimi liberos, adeoq; universam illustrissimam domum SAXONICÆ & BRANDEBURGICÆ pro sapiam, ejusq; consiliarios toto commendamus pectore. O tu sancte DEUS, omnes robora in vera fide, fulcra in spe viva, confirma in patientia, erige consolatione. Tibi ò misericors

misericors pater, & rex regum, & humani generis custos per-
vigil, ducem nostrum JOANNEM GEORGIIUM, admini-
strum beneficentiae majestatis tuae à te sapientia potentiaq; sa-
lutari conjunctione instructum committimus. Serva eum
porro incolumem, presta tutum, custodi salvum GERMA-
NIAE, & hisce provinciis, ut hoc duce & praeside calamitates
à cervicibus nostris propulsentur, & vigeat pax cum aliis vi-
tae commodis, & cum primis justitia, cultusq; numinis tui à te
determinatus. Gravissimum onus gubernationis harum ter-
rarum subjectis tuis humeris suffulci. Da ipsi FRIDERICI
sapientiam, JOANNIS constantiam, MAURICII bellandi
scientiam, & caritatem in Germaniam, AUGUSTI AVI
pietatem, CHRISTIANI PATRIS magnanimitatem,
CHRISTIANI FRATRIS liberalitatem, ut osculum det
Filio tuo, & portas terrae altè extollat, ut rex gloria Dominus
noster JESUS CHRISTUS cum sacrosancto Evangelij sui
verbo, ceu triumphali curru, ingrediatur, sibiq; in iis hospiti-
um statuatur. Fac ut oculi ipsius respiciant ad fideles terrae, am-
bulantes in via perfecta ipsi ministrent. Fac ut non habitet
in medio aulae ipsius faciens dolum, loquens mendacia non fir-
metur coram oculis ipsius, ut salutem populi supremam legem
sibi statuatur, praemia bonis distribuatur, malos moderata severi-
tate compescat, subditos amet, ditet, fortiter defendat, &
tandem jus aulae supremae obtineat. Arce ab harum terrarum
academiis, scholis, ecclesiis nefaria foederis societate contra JE-
SUM tuum filium conjunctos Jesuitas, putria ac putida ista
Romanae labruscae pedamenta. O Deus, cui nihil clausum est,
qui animis hominum interes, & cogitationibus mediis inter-
venis, qui operum & consiliorum inspector, judex, & vindex
es, consilia, quae JESUITAE coquunt, recoquunt, percoquunt,
excoquunt, optimè nosti. Te supplex rogo, venerorq;, conver-
te in ipsorum capita cogitata scelera, pessunda & dissipa san-
guinaria

guinaria profligata audacia insidiatorum consilia. Arce à
dulcissima nostrae patriae finibus hostium enses, averte tumul-
tus, prohibe seditiones, largire aëris salubritatem, morborum
passim grassantium sevitiam propulsa, annonam leua, libidi-
num effrenem licentiam cohibe, intestinam, eamq; non minus
pertinaciter, quàm atrociter herentem in omnibus humane
vitae ordinibus animorum distractionem tolle. Fac, ut haec IL-
LUSTRIS SCHOLA MISNENSIS sit ades concordiae, do-
micilium modestiae, officina virtutum omnium, sit fons con-
silij & felicitatis publicus, nec nostris solùm, sed etiam patriae
& posteritatis usibus. Fac, ut

Hic habitet pietas, studiis aptissima virtus,

Hic habitet sancti gloria sancta Dei.

Linguarum genius, decus artium in omnibus horis

Hic maneant, firmo permaneantq; loco.

Hic habitet Latio-graeco vis lactea Musa,

Hebraei resonet gratia grata labri.

Plurimus hic habitet sudor, concordia, candor,

Spes, patientia, amor, ingenuusq; pudor.

Sedula dexteritas, & vivida copia fandi

Eumathie ingenii adsit & Euepie.

Sobrietas, gravium tolerantia firma laborum,

In templis operam gymnasiisq; locans.

Magnum sit studium templorum, & cura scholae

Unus sit CHRISTO posse placere labor. (rum,

Is det opes pueris, magnos decernat honores,

Corporis atq; animi det bona multa Deus.

Incolumes.

Incolumes vivant discentes atq; docentes,

Bella, fames, pestis nulla noceto scholæ.

Hæc precor, hæc facio pro ludi vota salute,

Et sacras Musas non simulanter amo.

Exsomnia clavum puppi moderabor in alta,

Nec remex ullus me impedisse velit.

Ut verò id præstem, mihi tu prodesse memento,

Et faciat bonitas me tua, CHRISTE, bonum.

*Hæc, quotquot hic docemus & discimus, ô sancte & æterne
DEUS, toto animo petimus, & anxie à te expectamus omnes.*

*Deniq; nobis omnibus, qui facta heroinæ SOPHIÆ in hæc scho-
lastica oratione audita cognovimus, eam mentem injice, ut*

*contento cursu, acerrimo studio, animis inflammatis ea per-
sequamur imitando, & ubi honestissimis in laboribus vitam*

*hanc angustis naturæ limitibus circumscriptam exegerimus,
ad eandem metam pervenientes tuo munere & concessu sem-*

*piternam coronam capiamus, & in clarissimo illo beatorum
concilio semper tuo jucundissimo conspectu perfruamur, tuo*

*beneficio vitam adeamus beatam, & omnibus gaudiis afflu-
entem. Tibi uni in substantia, & trino in personis soli*

vero DEO PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI

*SANCTO sit laus, & gloria in omnem se-
culorum perennitatem.*

ILICET.



F I N I S.



F R I B E R G Æ,
TYPIS GEORGII HOFMANI,
ANNO CHRISTI,
M. DC. XXIII.

M

~~1/c~~ 2680 Gk

27c

WDA







h. v. 27 204

ILLUST

DO
BR

CHRISTI
NIMO RE
Serenissim

IN ILLUS
Senatus urba

FOA



FR

ENISS
NÆ,
PHIÆ
IDUÆ

AX. MAGNA-
RISSIMI ET
NNIS GEORGII,
ris, &c.

SI, FREQUENTI
deoq; quotquot fue-
arii, Anno

RECTORE

Anno 1623.

Vc
2680

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

